
STEPH· ANTONI MORCELLI

E SOC· IESV

FASTI VRBIS CHRISTIANI



TAVRINI
PETRVS H. F. MARIETTI
TYPOGRAPHVS PONTIFICIVS


ROMAE
TYP. POLYGL. OFFICINAE
DE PROPAGANDA FIDE

M · DCCC · LXVIIII·

STEPH· ANTONI MORCELLI

E SOC· IESV

FASTI VRBIS CHRISTIANI



AVGVSTAE TAVRINORVM
EXCVDEBAT
PETRVS HYACINTHI F. MARIETTI
TYPOGRAPHVS PONTIFICIVS
M · DCCC · LXVIIII·

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/fastiurbischrist00morc

AD LECTOREM

DE HVIVS OPERIS EDITIONE

Nemo est qui non intelligat atque ultro fateatur, historiae documentis imbuendam esse iuvenum memoriam ingeniumque alendum et iudicium acuendum. Illud enim verissime Tullius pronunciavit (*De Or. II, 9*): « Historiam esse cum testem temporum et nuntiam vetustatis, tum vitae magistram et lucem veritatis. » Haec autem si de quavis historia merito dicuntur, singulari prorsus ratione tenenda sunt de historia christianae Religionis, atque adeo illius Urbis Romae, quae, cum prius fuerit *magistra erroris, facta est discipula veritatis*; et in qua sedem summi Sacerdotii Christus ipse constitutam voluit, *ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet* (S. Leo, Serm. I de SS. App. Petro et Paulo). Praeposterum enimvero esset, christianum iuvenem Atheniensium vel Romanorum reipublicae, Assyriorum etiam Persarumque imperii facta probe noscere, deque iis multum et disertum habere sermonem; quae autem sanctissimae Reli-

gionis nostrae ortus, incrementa, vices, pugnas, victorias nos edocent, quaeque animis nostris caelestem spiritum et vitam afflare debent, turpiter ignorare, et in ea veritatis luce, quae ab Urbe Roma dimanat, propemodum caecutire. Quare si qui libri sunt qui monumenta temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum ad Religionem spectantium ita exhibeant, ut magnam utilitatem adolescentibus historiae ediscendae cupidis conferre possint, eos utique in illorum manus tradere eosque commendare operae pretium est. Nolim autem grandia et erudita illa volumina adolescentibus obtrudere, quae rerum copia et difficultate eorum mentes obruant, vel ipsa magnitudine a studendi labore animos deterreant: illos potius opportune seligerem libros, qui brevi et dilucida oratione praecipua rerum capita complectuntur et temporum notas accurate servant. Inter ceteros autem dignos sane qui iuvenum manibus terantur, commodum valde iudico opus clarissimi viri Stephani Antonii Morcelli e Societate Iesu, quod ipse publici iuris fecit cum suas edidit inscriptiones; et exstat in volumine IIII (*pagg. 126-232*) operum epigraphicorum excuso Patavii typis Seminarii an. M.DCCC.XXIII. Ille enim res christianae Religionis, cuius magisterium et principatus in ipsa Urbe est, litteris consignavit, eam prosecutus stili rationem quae Fastorum, ut veteres appellabant, propria habetur; atque adeo suum opus inscripsit *Fastos Urbis christianos.* Quare hos ipsos a reliquis inscriptionibus seiunctos exiguo libello invulgandos curavi, pro certo habens me facturum operam non utilem solum, sed gratam omnino iuventuti christianae, quae

bonis litteris excolitur succrescitque praeclaram in spem reipublicae et Religionis. Nec illud equidem diffiteor, me fastos morcellianos idcirco etiam selegisse, quod latina oratione conscripti sint, atque ea concinnitate atque elegantia, quam demirari utique poteris, sed non satis laudare. Quanto studio atque amore excolendae et, si ita loqui fas est, fovendae sint latinae litterae; et contra quantum illae passim iaceant afflictae neglectaeque magno sane totius litterariae reipublicae detrimento, cur ego hic fusius prosequar aut inutiliter conquerar? Satius mihi sit latinis litteris qua demum cumque possum ratione consuluisse: quod etiam me facturum confido, si adolescentibus volutandos exhibeam libros, ubi res scitu cum maxime utiles explicantur latina oratione lectu iucundissima. Huiusmodi porro esse quem nunc edimus libellum, nemo, puto, sanus dubitabit. Inter alias vero plurimasque virtutes, quae Morcelli dictionem commendant, illud eius proprium pene dixerim privumque est, ut ritus christianos et sanctissimas caeremonias, quae latine efferre, non dicam bene sed commode saltem, difficile admodum est, lectissimis formulis explicaverit. Quamvis enim veteres profani scriptores, quos dumtaxat tanquam bene loquendi magistros merito sectamur, vocabula illis exprimendis idonea vix aut ne vix quidem sufficiant; eas tamen Morcellus exhibet locutiones, quas veteres ipsi magistri puto usurpassent, si in sanctissima Christi Religione alti educatique libros suos conscripsissent. Quae omnia cum aliis etiam adolescentibus carum facere debeant hoc opus morcellianum, tum iis qui inter clericos adlecti sunt

illud in primis commendant: eos enim et catholicae Ecclesiae historiam ediscere et latinarum litterarum studio addictos esse cum maxime oportet.

Quod si quis politiorum litterarum aut historiae tradendae magister hoc libello uti volet quo suos auditores christianam historiam edoceat, praeclare enimvero ille aget, atque nostris in hoc opere evulgando studiis et votis egregie obsecundabit. Magnum porro suae institutionis fructum capiet, si cum fastos morcellianos praelegerit, singulas res, prouti opportunitas feret, aut fusiori narratione illustrabit; aut dubias certis argumentis confirmabit; aut etiam, si quae sunt quas non omnino ad veritatis normam exactas recens litteratorum hominum diligentia et subtile iudicium deprehenderit, eas repudiabit, et quae communi eruditorum sententia magis probantur adseret. Nec ille praetermittet exquisitissimas dicendi formulas collaudare, easque si opus fuerit commode explicare. Quin etiam suis alumnis quaedam latine exaranda proponet ad imitationem eius fastorum partis quam enarraverit. Quod sane illi non aegre facient. Si enim Morcellus scribere potuit: « Horum fastorum satis expedita ratio est latine scienti, nec aliud fere admonendum est, nisi ut breviter et dilucide et propriis omnia formulis exponamus; » multo nunc expeditior dicenda est, cum prae manibus habeant adolescentes hasce praestantissimi Auctoris paginas, ex quibus et rationem universam conscribendorum fastorum optime expressam, et formulas pene omnes quae usui esse possunt eleganter usurpatas nullo fere dixerim labore edi-

scent. Sed enim maiori cum utilitate id efficient, si magistro duce delibabunt praecepta quae Morcellus ipse tradidit lib. II *de stilo inscriptionum latinarum*, qui est διδακτικός, cap. IIII, § II; et lib. III, qui est παρασκευαστικός, cap. IIII, pars I; aut quae inde opportune decerpsit et pene exscripsit Osvaldus Berrinius in perutili opella *de stilo inscriptionum latinarum*, quam adiecit inscriptionibus Thomae Vallaurii magni illius politiorum in Italia litterarum splendoris atque ornamenti.

Restat ut pauca dicam de ratione huius nostrae editionis. Ac primo scio utique decens omnino, ne dicam necessarium fuisse, ut fasti exscriberentur notis maioribus, quas et ratio et usus comprobat. Verum cum consilium mihi fuerit fastos morcellianos eiusmodi libello consignare, qui facile parabilis esset atque iuvenum vel censu tenuiorum manibus usurpari posset; grandioribus autem characteribus non solum libri moles, sed eius pretium nimis succresceret; adductus sum ut paterer illum minoribus litteris excudi. Accuratissime tamen universam clarissimi Scriptoris dictionem et singulas formulas ad unguem expressas volui: et religio mihi fuit vel unam voculam immutare aut ipsam scripturam eiusque compendiarias rationes invertere. Maiores solum minoresque distinctiones apposui post singulas absolutas sententias, ne continua oratio adolescentem lectorem impediret vel moraretur. Porro abstinui a commentariis, quae vel historiae facta vel latini sermonis formulas explicarent: atque id non solum ne spissum et caro emendum librum iuvenibus offerrem, sed ut commentandi onus magistris relinquerem qui fastos in scholis praelegere

volent; atque etiam ut Morcelli ipsius consilium sequerer. Audi enim quae ille scripsit post exaratos fastos: « Iam res, quae in Fastis enunciantur, non ego hic unde hauserim, adnotandum puto: in promptu enim sunt, quos ipse adivi, quamplurimi ex hoc genere libri, ut cuius hoc aut illo loco opinionem sententiamque sequutus sim, facile quisque, si libeat, cognoscere possit. neque sane tales ut addam commentarios instituti huius mei ratio postulat, qui ea tantum persequar, quae ad stilum et formulas spectant, atque etiam haec ipsa hoc loco consectari longum est; quum tot res tamque varias perstringere debuerim; nec eadem omnes in dubium vocare soleant; tum quae mihi plana sint, ambigua aliis esse possint. » At cur saltem, dicet aliquis, non adscribere, ut mantissam aliquam, fastos earum rerum, quae ab anno MDCC, ubi Morcellus substitit, ad nostram aetatem memoratu sane dignissima contigerunt? Enimvero non is ego sum, qui possim latine scribendo cum tanto viro certare, et meam cum illius oratione componere: nec fortasse facile invenietur qui hoc prudens velit. Sed praeterea en tibi rursum quae ipse fastorum Auctor eleganter oppido ac festive respondet: « At illud saltem a me scire hic quidem cupiunt, quum laborem huiusmodi operosum plane ac molestum ita tulerim, nihil ut contentionem meam ad saeculum usque decimum septimum interruperit, quae denique extiterit caussa, cur in ipso saeculi nostri limine defessus subsisterem, et reliqua pertexendi curam studiumque deponerem. his vero, quia curiosiores esse sentio, quam deceat, paucis ego respondeo: eo me consilio nihil de aetate

nostra attingere voluisse, ut hanc ipsis Fastorum partem absolvendam relinquerem. »

Fastos igitur christianos Urbis, quales Auctor ipse conscripsit, habeant a nobis iuvenes, quibus christianae Religionis et latinarum litterarum studium curae est; atque eos habeant tanquam pretiosum et iucundissimum munus sibi datum feriis paschalibus huius anni MDCCCLXVIIII, quem illis faustum fortunatumque ominamur et exoramus a Iesu Christo Religionis Auctore et scientiae omnis Datore. Quod si memorabilem prorsus et sanctum hunc annum faciet magnum Concilium omnium Episcoporum in ipsa Urbe celebrandum, est hoc ipsum quod opportunam magis utilemque eis reddet Fastorum Urbis christianorum lectionem.

I. M.

FASTI · VRBIS · CHRISTIANI

S · P · Q · R ·
FASTOS · VRBIS · CHRISTIANOS
DESCRIBENDOS · PVBLICANDOSQVE
CVRAVIT

SAECVLVM · I ·

ANNO · CHRISTIANO · XXXXII ·

P · V · C · DCC · LXXXXV ·

CLAVDIO · AVG · ITER ·
C · CAECINA · LARGO · CoS·

Adventus Petri Apostoli XV. kal. februar. Initium summi in Urbe Sacerdotii.

Aedes prima in Exquiliis a Petro Pontifice Maximo dedicatast. Marcus Evangelio conscripto legatus in Orientem missus. Deo auspice multi in Urbe ex omnibus ordinibus christianam sapientiam professi. XXXXVIIII·

Paullus Apost. ex Iudaea vinctus Christianis obviam progressis Urbem ingressus est. LVI·

Simo Samarites magus aerem volatu tentans Petri et Paulli obsecratione praeceps decidit.

Christianum nomen incendî Urbis insimulatum. Multi suppliciis a Nerone excruciati, necati. Magnis demum laboribus exantlatis ipsi etiam Apostoli Petrus et Paullus martyrium fecerunt. LXVII·

Linus in Petri locum Pontifex Maximus factus est. Idem altero post anno extinctus martyrum numerum auxit.

Cletus in eius locum Pont. Max. factus est. Idem anno sexto pontificatus sui martyr occubuit. LXXIII·

Huic suffectus est Clemens. Per eos dies Hermas volumen Pastoris scripsit, et impendentem Christianis cladem praenunciavit. Clemens epistolam ad Corinthios misit seditionis sedandae caussa. LXXVI.

Idem coactus solum vertere pontificatu se abdicavit. In eius locum f. e. Anacletus. LXXXIII.

Christiani rursum vexati, caesi iussu Domitiani Aug.. Ioannes Apost. ad port. Latinam honores martyrum delibavit: superstes sibi exsilio multatus est. Praeclara LXXXX.
mors fuit Acilii Glabrionis et Flavii Clementis consularium.

Anacletus anno XIII. pontificatus sui martyrium fecit. LXXXXVI.
In eius locum f. e. Evaristus. Hoc Pontifice Presbyteri sacrorum caussa Urbis regionibus adtributi: his deinde nomen Cardinalibus fuit. Item Notarii qui acta martyrum scriberent destinati.

SAECULUM II.

Christiani tertium gravi plaga perculsi auctore Traiano Aug.: multi in custodias inclusi, capitis damnati. Ignatius pontifex antioch. in amphitheatro bestiis CVIII.
obiectus est.

Alexander in locum Evaristi mart. Pontifex Maximus factus est. Idem anno VIIII. pontificatus sui martyrium fecit. CXVII.

Hunc excepit Xystus. Huius tempore clarum Symphorosae et filiorum eius martyrium fuit. Quadratus et Aristides libellos pro Christianis Adriano Aug. obtulerunt. CXXVI.

Xystus anno X. pontificatus sui sanctis martyrr. adnu- CXXVII.
meratus est. In eius locum f. e. Telesphorus. Idem anno XI. pontificatus sui martyrio defunctus Hyginum successorem habuit. CXXXVIII.

Per eos dies Cerdo et Valentinus auctores rerum novarum Urbem aggressi, ut Christianos contagione sua labefacerent.

Hyginus anno IIII. pontificatus sui martyrium fecit. In eius locum f. e. Pius. CXXXXII.

Iustinus Philosophus ludum christianae sapientiae ape-
ruit: libellum pro Christianis Antonino Pio Aug. dedit.
Pio demortuo Anicetus Pontifex Maximus f. e.. Ad hunc CL.
Polycarpus ex Asia controversiarum caussa venit:
Marcionem graviter increpuit: multos ab errore re- CLVIII.
vocavit.

Anicetus anno XI. pontificatus sui martyr decessit. In
eius locum f. e. Soter. CLXII.

Christiani quartum criminis capitalis rei facti auctore
M. Aurelio Aug.. Felicitas et filii eius septem clarum CLXIIII.
martyrium fecerunt. Iustinus libellum alterum pro
Christianis utrique Aug. inscriptum edidit. Idem mar- CLXVII.
tyr occubuit.

Quartodecumani concilio Episcoporum vocato damnati CLXX.
sunt. Missi per provincias qui Christianis inopia labo-
rantibus suppetias ferrent.

Soter martyrii honores adeptus Eleutherium successorem
habuit. Hoc Pontifice concilium Episcoporum indictum: CLXXI.
Theodotus Coriarius damnatus est.

Milites christiani contra Quados pugnantes caelesti aqua
implorata legionibus romanis opitulati sunt. CLXXIIII.

Rex Lucius e Britannia sacerdotes, qui se suosque chri-
stianis institutionibus erudirent, ab Eleutherio per
legatos poposcit.

Athenagoras libellum pro Christianis ad M. Aurelium CLXXVII.
et Commodum Augg. ex Oriente misit. Apollonius
senator martyrum numero additus est.

Eleutherius anno XIIII. pontificatus sui martyrium
fecit. In eius locum f. e. Victor. Hoc Pontifice conci- CLXXXV.
lium Episcoporum convocatum ad controversias pa-
schalis diei dirimendas: item adversus Sabellium et
Valentinum.

Christiani Asiatici Victoris litteris et interdictione sa-
crorum communium a Quartodecumanis tuendis deter-
riti. Victor post annum XII. pontificatus martirium
fecit. In eius locum f. e. Zephyrinus. CLXXXXVII.

Natalis dux partium theodotianarum divinitus plagis
multatus resipuit. Tertullianus Apologeticon pro Chri-
stianis scripsit. CLXXXXVIIII.

Christiani quintum ad caedem designati edictis Severi Aug.: multi in Urbe, plurimi in provinciis clarum CCII.
martyrium fecerunt.

Origenes Alexandria Romam ad Zephyrinum Pont. Max. venit. Caius presbyt. Proculum montanianum disputando perculit. CCXI.

Zephyrinus anno XVIIII. pontificatus sui martyrum numero insertus est. In eius locum f. e. Callistus. CCXVII.
Hoc Pontifice aedes Mariae trans Tib. dedicatast, coemeterium callistianum ampliatum.

M. Minucius Felix dialogum Octavium scripsit. Iulius africanus e Palaestina legatus Nicopolitarum ad Aug. venit.

Callistus anno sexto pontificatus sui martyrium fecit. CCXXII.
In eius locum f. e. Urbanus. Hoc Pontifice Caecilia virgo clarum martyrium fecit. Ipse Urbanus anno VIII. pontificatus sui martyr. occubuit. In eius locum f. e. Pontianus. CCXXX.

Christiani sextum in discrimen capitis adducti auctore Maximino Aug.. In sacerdotes potissimum saevitum est. CCXXXV.

Pontianus anno VI. Pontificatus sui martyrium fecit. In eius locum f. e. Anterus, qui mense altero martyr decessit. In eius locum f. e. Fabianus.

Hoc Pontifice sancti Episcopi septem nomine christiano propagando in Gallias missi: concilium Episcoporum convocatum adversus Origenem: coemeteria martyrum CCXXXVII.
producta: plebis alendae cura Diaconis per regiones delata.

Eodem Pontifice Imperium P. R. christianos principes habuit M. M. Iulios Philippos Augg.. CCXXXXIIII.

Fabianus anno XV. pontificatus sui martyrium fecit. In CCL.
eius locum f. e. Cornelius. Hoc Pontifice concilium Episcoporum convocatum est ob Christianos transfugas recipiendos: item adversus Novatianum pontificatum maximum iniuria usurpantem.

Christiani septimum afflictati iussu Decii Aug.. Hippo-

lytus presb. clarum martyrium fecit. Cornelius acta Synodi carthaginien. concilio indicto probavit. Idem anno III. pontificatus sui sanctis martyrr. adnumeratus est. In ejus locum f. e. Lucius, qui altero post anno martyrum honores adeptus est.

Lucium excepit Stephanus. Per eos dies numerus Chri- CCLII-
stianorum Stephani industria mire auctus. Multi martyrium fecerunt.

Cypriani pontif. carthaginiensis responsum de baptismate a Stephano accepit, Nihil innovandum. Conci- CCLIIII-
lium convocatum adversus Noetum, Sabellium et Valentinum. CCLVII-

Christiani octavum odia impiorum perpessi auctore Valeriano Aug.. Clarum Rufinae et Secundae virgg. martyrium fuit. Antistites sacrorum neci omnes devoti.

Stephanus anno IIII. pontificatus sui sanctis martyrr. CCLVIIII-
adnumeratus est. In eius locum f. e. Xystus II., qui post biennium martyr occubuit. Laurentius Archidiac. proximo triduo praeclarum martyrium fecit.

Xysto Dionysius suffectus est. Hoc Pontifice concilium CCLX-
indictum ob delatum Dionysii pontificis alexandr. nomen: item ad controversias de baptismate dirimendas: item adversus Paullum Samosat.. Zamas Bononiensibus primus pontifex datus. Missi cum auro in Cappadociam qui Christianos a barbaris captos redimerent.

Dionysius anno X. pontificatus sui honores martyrii CCLXVIIII-
adeptus est. In eius locum factus est Felix. Aedes pontificales Antiochiae sententia Aug. adiudicatae illi, quem Felix Pont. Max. pro Episcopo haberet. Paullus Samosat. demigrare iussus.

Christiani nonum vexati auctore Aureliano Aug.. Cla- CCLXXII-
rum Eutropî et sororum martyrium fuit. Constantinus Maximus Aug. natus est Tacito et Placidiano Cos..

Felix anno V. pontificatus sui martyrum numero additus. In eius locum f. e. Eutychianus, qui anno X CCLXXIIII-
pontificatus sui martyrium fecit. In eius locum f. e. CCLXXXIII-
Caius.

Protus presb., Ianuarius diac. in Sardiniam ad eius incolas instituendos missi. Excitata in Urbe Christianor. virtus ad contemptum mortis.

Sebastianus defensor Ecclesiae appellatus est: idem CCLXXXVII.
praeclarum martyrium fecit.

Caius anno XII. pontificatus sui martyr decessit. In
eius locum f. e. Marcellinus. CCLXXXXV.

SAECULUM IIII.

Christiani decimum in cruciatus atque in exitium dediti edictis Diocletiani Aug.. Templa Dei immortalis solo
aequata: volumina sacrarum litterarum flammis de- CCCII.
vota.

Marcellinus anno VIIII. pontificatus sui martyrium
fecit. Interregnum annor. III. mens. VI. dier. XXIII. CCCIIII.

Constantinus Caesar a militibus in Britannia Imperator CCCVI.
appellatus est. Christiani edicto eius in antiquum statum restituti, templa refecta, Antistites sacrorum suppleti.

Marcellus Pontifex Max. factus est, qui tertio post anno CCCX.
decessit. In eius locum factus est Eusebius. Hic menses IIII. dies XVI. pontificatum gessit.

Eusebium excepit Melchiades. Hoc Pontifice Constantinus Aug. prodigio caelesti admonitus Maxentium devicit: Urbem christiano nomini propitius ingressus est: ve-
xilla cruce et Christi nomine insignia praelata sunt. CCCXII.

Concilium Episcoporum indictum ad caussam Caeciliani pont. carthag. iudicandam.

Melchiades anno IIII. pontificat. sui mortuus est. In
eius locum f. e. Silvester. Eodem anno legati ab eo CCCXIIII.
Arelate ad concilium Episcoporum missi. Concilium
in Urbe adversus Iudaeos convocatum: doctores eorum CCCXX.
ad disputandum admissi.

Constantinus Aug. Silvestro et successoribus eius aedes
lateranas donavit. Idem templum Deo Servatori ae- CCCXXIIII.
demque Ioannis cum fonte fecit: templa in Vaticano et via Ostiensi honori Petri et Paulli Apost., aedem Laurentii martyr. extra portam Exquilinam, aedem Hagnae virg. martyr. extra Viminalem, exstruenda curavit.

Vitus et Vincentius presbyteri a Silvestro legati ad CCCXXV.
concilium magnum Nicaenum. Indictum in Urbe concilium veteris disciplinae retinendae caussa.

Silvester anno XII. pontificatus sui mortuus est. In
eius locum f. e. Marcus, qui mense VIIII. pontificatus CCCXXXV.
sui decessit.

Post Marcum Iulius Pontifex Maximus f. e.. Concilium CCCXXXVII.
indictum ab eo adversus factionem Arianorum: ite-
rumque et tertium pro Athanasio pontifice alex. ad- CCCXXXXI.
versus Eusebianos. Idem concilium magnum Sardicam CCCXXXXVII.
convocandum curavit.

Aedes sacrae a Iulio quatuor exstructae, binae extra
pomoerium Valentini et Callisti, binae intra quae
Iuliae appellatae sunt. Concilium vocatum adversus CCCXXXXVIIII.
Photinum.

Iulius anno XVI. pontificatus sui mortuus est. In eius
locum f. e. Liberius. Ariana factio Constantio Aug. CCCLII.
fautore pontifices catholicae professionis terra mari-
que insectata est. Liberius Beroeam relegatus. In CCCLV.
eius locum Ariani Felicem II. legendum curarunt,
qui deinde probatus atque ab omnibus receptus pon-
tificatum triennio gessit.

Idem Liberio reduce se pontificatu abdicavit: Liberius CCCLVIIII.
regimen Ecclesiae recepit. Hoc Pontifice templum
Liberianum dedicatum est.

Christiani undecimum vexati multimodis, atque astu et
insidiis circumventi, auctore Iuliano Aug.. Ioannes
et Paullus clarum martyrium fecerunt. CCCLXI.

Liberius anno XV. pontificatus sui mortuus est. In CCCLXVI.
eius locum f. e. Damasus. Huic factio seditiosorum
Ursinum opposuit. Tumultus et caedes in urbe fuit.
Ursinus a Iuvencio Praef. Urb. in exilium actus est.

Concilium ad Macedonianos qui resipuissent recipiendos
indictum: iterumque adversus Arianorum motus: ter-
tium uti Damasus se de contentione honoris purgaret: CCCLXX.
quartum adversus Auxentium et Arianos: quintum
adversus Apollinarem et sectatores eius.

Concilium magnum Constantinopolim convocatum est. CCCLXXXII.
Eodem anno sextum in Urbe actum concordiae fir-

mandae caussa. Ascholus pont. thessalon. vice Pontificis Maximi per Illyricum fungi iussus.

Aedes Laurentii ad theatrum Pompeii, altera via Ardeatina a Damaso conditae. Multa martyrum sepulcra titulis donariisque exculta.

Damasus anno XVIIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Siricius. Concilium ab eo indictum veteris disciplinae retinendae caussa: responsum Hi- CCCLXXXV·
merio pont. tarracon. secundum quaesita datum: presbyteri et diaconi ex veteri praescripto caelibem vivere vitam iussi.

Theodosius Aug. cum Honorio Caesare Urbem ingressus CCCLXXXVIIII·
congiarium populo dedit: monumenta veteris superstitionis ritusque omnes profanos edicto sustulit.

Concilium iterum coactum adversus Iovinianum. Admo- CCCLXXXX·
niti per epistolas Episcopi, ne quis in locum episcopi demortui inscio Pontifice Maximo initiaretur.

Siricius anno XIIII. pontificatus sui mortuus est. In CCCLXXXXVIIII·
eius locum f. e. Anastasius. Concilium ab eo convocatum veteris disciplinae retinendae caussa. CCCC·

SAECULUM V.

Aedes Crescentiana in Coelio ab Anastasio P. M. con- CCCCI·
dita dedicataque est. Rufinus de studio in Origenem reprehensus. Legati ex Africa ad popularium institutionem sacerdotes a Pontifice Maximo postularunt.

Anastasius anno III. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Innocentius. Hoc Pontifice Honorius Aug. Urbem ingressus sepulcrum Petri et Paulli CCCCIII·
Apostt. invisit: ludos gladiatorios edicto sustulit.

Aedes Gervasî et Protasî martyrr. valle Quirini ab Innocentio dedicatast. Responsa Episcopis de sacro iure multis petentibus data: Ioannis Chrysostomi caussa CCCCV·
suscepta: acta coniurationis Theophilianae rescissa.

Innocentius gothico bello ingruente Ravennam cum legatis senatus ad Honorium Aug. profectus est pacis constituendae caussa. Urbs diu obsessa captaque ab rege Alarico. CCCCX·

Caelestius Carthagine in concilio damnatus ad Pont.

Max. provocavit. Idem et Pelagius ab Innocentio perculsi et interdicto a sacris communibus amoti. CCCCXVII.

Innocentius anno XVI. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Zosimus. Concilium Episcoporum ab eo indictum veteris disciplinae retinendae caussa: CCCCXVIII.
Pelagius et Caelestius iterum damnati.

Zosimus anno II. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Bonifacius. Huic factio seditiosorum Eulalium opposuit. Tumultus in Urbe fuit. Eulalius Honorii Aug. iussu in exilium actus est.

Templum Paulli Apostoli via Ostiensi a Theodosio Aug. restitui coeptum, ab Honorio Aug. perfectum est. Cautum a Bonifacio ne Illyricum pontifici Constantinopol. adtribueretur. CCCCXXII.

Bonifacius anno IIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Caelestinus. Hoc Pontifice factionibus haereticorum ex auctoritate Placidiae Aug. purgata Urbs: Caelestius ex terra Italia pulsus. CCCCXXV.

Concilium Episcoporum in Urbe bis actum adversus Nestorium. Concilium magnum convocatum: Ephesum legati qui praeessent Arcadius et Proiectus Episcopi, Philippus presb.. Eodem anno Palladius pontifex in CCCCXXXI.
Hiberniam ad eius incolas instituendos missus est.

Aedes Sabinae mart. in Aventino a Petro presb. domo Illyrico aedificata est. Memoriae et scriptis Augustini luculentum testimonium a Pont. Max. impertitum.

Caelestinus anno X. pontificatus sui mortuus est. In CCCCXXXII.
eius locum f. e. Xystus III.. Hoc Pontifice concilium indictum adversus Pelagianos et Nestorianos. CCCCXXXIII.

Aedes Laurentii et Lucinae a Xysto condita: templum Liberianum restitutum: testudo sacri fontis in Laterano exornata. CCCCXXXVI.

Iuliani ducis partium pelagianarum detectae fraudes: ipse Aeclano interclusus damnatus.

Xystus anno VIII. pontificatus sui mortuus est. In eius CCCCXXXX.
locum f. e. Leo Magnus. Hoc Pontifice concilium Episcoporum quotannis actum III. k. octobr. anniversario initi ab eo pontificatus die.

Mauritani et Siculi ad praescripta maiorum Leonis lit-

teris revocati. Paschae dies secundum kalendarium alexandrinorum definiti. CCCCXXXXIII·

Manichaei Roma pulsi, scripta eorum flammis devota. Factio Pelagianorum et Priscillianorum repressa. CCCCXXXXVII·

Leo per epistolam ad Flavianum sententiam suam de Deo Homine exposuit: coniurationis ephesiae acta omnia rescidit. CCCCL·

Eudoxia Aug. aedem Petri in Exquiliis condidit: eadem catenas quibus vinctus fuerat in eam intulit. Demetria virgo aedem Stephani via Latina fecit.

Concilium magnum legitimum Chalcedone celebratum est: Eutyches et Dioscorus damnati. CCCCLI·

Attila dux Hunnorum Urbi inhians Leonis occursu et adloquio deterritus victorem exercitum trans Alpes reduxit. CCCCLII·

Acta concilii chalcedonensis a Leone probata litteris ad universam ecclesiam missis: Canon XXVIII. reiectus. CCCCLIII·

Gensericus dux Vandalorum Leone deprecante ab incendio Urbis et compilatione aedium sacrarum milites cohibuit. CCCCLV·

Leonis litteris excitati Orientis Episcopi adversus Timotheum Elurum, qui pontific. alexandr. invaserat: Aegyptii ad tuendam maiorum doctrinam confirmati. CCCCLVII·

Aedes Cornelii via Appia a Leone condita: nonnullae quae vetustate dilabebantur restitutae: multae donariis auctae.

Leo anno XXII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Hilarus. CCCCLXI· Litterae ab eo ad Orientis Episcopos missae doctrinae veteris tuendae caussa. Controversiae inter Episcopos Galliarum compositae. CCCCLXII·

Templa Urbis refecta, exornata: aediculae tres ad fontem Ioannis ab inchoato exstructae: bibliothecae binae in Laterano institutae: coenobia duo monachis aperta, ditata.

Concilium Episcoporum indictum veteris disciplinae retinendae caussa. CCCCLXV· Episcopis Hispaniarum praescriptum, ne quis sibi successorem mortis caussa designaret, neve pontificatus commutarentur.

Anthemius Aug. Hilaro auctore Philotheum macedonianum rebus novis studentem coercuit. CCCCLXVII·

Hilarus anno VII. pontificatus sui mortuus est. In eius
locum f. e. Simplicius. A Probo huius legato ambi- CCCCLXVIII.
tiosa Acacii pont. constantinop. auctoritas intra ve-
teres fines cohibita. Zeno episc. Hispalensium vice
Pontificis Maximi per Hispanias fungi iussus.

Simplicii litteris Basiliscus Aug. ab Eluro et Euthy-
chianis tuendis deterritus. Damnati qui in antioch. CCCCLXXVI.
et alexandr. pontificatum invaserant. CCCCLXXVIII.

Aedes Stephani in Coelio, altera ad Laurentî extra po-
moerium, item Vivianae ad domum Licinianam, et
Andreae in Exquiliis conditae: pronaon templo Va-
ticano adiectum.

Talaias pontificat. deturbatus et Alexandria profugus
in Urbem ad Pont. Max. venit. CCCCLXXXII.

Simplicius anno XV. pontificatus sui mortuus est. In CCCCLXXXIII.
eius locum f. e. Felix III.. Concilium ab eo indictum
adversus Acacium fautorem haereticorum: querelae
Talaiae exsulis auditae. Legati Constantinopolim Vi-
talis et Misenus episcopi.

Zeno Aug. de officio graviter admonitus. Acacius Ro-
mam in iudicium vocatus. Legati ob praevaricationem CCCCLXXXIIII.
pontificatu abire iussi et a sacris communibus amoti.
Sententia in Acacium contumacem dicta, ut honore
omni spoliatum in alienorum numero omnes haberent.
Qui non paruerunt eodem numero habiti.

Concilium vocatum ob eos, qui in Africa Arianis in CCCCLXXXVII.
Ecclesiam saevientibus a veteris doctrinae professione
defecerant. Aedes Agapeti exstructa ad Laurentii
extra pomoerium.

Fravitae successori Acacî designato hac lege spes facta
concordiae, ut nomina Acacî et Mongi sacris e tabulis CCCCLXXXVIIII.
deleret.

Felix anno VIIII. pontificatus sui mortuus est. In eius CCCCLXXXXII.
locum f. e. Gelasius. Recusata ab eo Euphemî pon-
tific. constantinopol. consensio, ut nomen Acacî de- CCCCLXXXXIII.
leret. Refutatae Graecorum de Acacî iudicio querelae.

Concilium Romae actum ut librorum census fieret et
auctoritas cuiusq. definiretur: item ut Miseno leg.
pontificatus cumanus restitueretur. Manichaei in Urbe CCCCLXXXXV.
latitantes in exsilium pulsi: Pelagiani et Eutychiani
repressi.

Aedes a Gelasio tres dedicatae sunt, Tibure, via Labicana, et via Laurentina. Sacerdotes canonici in Lateranum deducti.

Gelasius anno V. pontificatus sui mortuus est. In eius CCCCLXXXXVI.
locum f. e. Anastasius II.. Legati ab eo Constantinopolim Cresconius et Germanus, qui pe pace concordiaque cum Graecis agerent.

Litterae ab Anastasio in Galliam ad regem Clodovaeum
gratulandi caussa missae, quod is christianam profes- CCCCLXXXXVII.
sionem amplexus esset.

Anastasius anno II. pontificatus sui mortuus est. In CCCCLXXXXVIII.
eius locum f. e. Symmachus. Huic Festi Patricî factio Laurentium opposuit. Anastasî Aug. consensio a Symmacho repudiata, ni Acacî nomen deleretur.

Concilium bis vocatum adversus Laurentium. Pontificis D.
Maximi creandi ratio in posterum legibus constituta.

SAECULUM vI.

Concilium iterum vocatum adversus Laurentî factionem: DI.
leges de ambitu latae: tertio item et quarto legitima Symmachi auctoritas ab iniuriis adserta: quinto actum de poenis eorum qui in fundos Ecclesiae inva-
sissent. DV.

Symmachus aedem Petri via Tiburtina dedicavit, aedem Silvestri et Martini in Exquiliis, binas via Aurelia Agathae et Pancratii condidit, Hagnae et Felicitatis restituit, templum Vaticanum ampliavit excoluit, et in proximo aedem Andreae Apost. fecit. Idem domos alendis pauperibus ternas aperuit.

Episcopi per Illyricum Symmachi litteris contra Euty- DXII.
chianos confirmati. Orientales Ecclesiae opem ab eodem adversus haereticos implorarunt.

Symmachus anno XVI. pontificatus sui mortuus est. In DXIII.
eius locum f. e. Hormisdas. Legatos qui de pace agerent Anastasius Aug. ad eum misit. Idem legatos Hormisdae Constantinopoli male habitos Romam re
infecta redire iussit. DXVII.

Concilium vocatum adversus Graecos discordiae veteris
tollendae caussa. Legati Constantinopolim iterum DXVIII.

missi qui res componerent: pax Iustino Aug. conci-
liatore cum Episcopis confecta: damnati haeretici:
nomina Acacî, Euphemî, Macedonî et sectatorum
sacris e tabulis deleta sunt. DXVIIII.

Hormisdas anno VIIII. pontificatus sui mortuus est. In
eius locum f. e. Ioannes. Hunc rex Theodoricus Con- DXXIII.
stantinopolim cum legatis ire coegit qui Iustinum
Aug. Arianis placarent.

Ioannes a Iustino Aug. adoratione atque omni honore
acceptus est. Idem templa de Arianis recepta sacris
legitimis expiavit. DXXV.

Rex Theodoricus Ioannem et legatos, quod legationem
ex ipsius sententia non peregissent, in carcerem inclu-
sit. Ioannes anno III. pontificatus sui Ravennae in
vinculis mortuus est. In eius locum factus est Fe- DXXVI.
lix IIII.. Litterae ab rege Atalarico ad senatum mis-
sae gratulandi caussa, quod Pontifex Maximus renun-
ciatus is esset quem pater eius commendaverat.

Dionysius Exiguus cyclum suum edidit, annos christianos DXXVII.
primus computando usurpavit. Felix, quod Romuli
templum fuerat, aedem Cosmae et Damiani fecit:
idem Saturnini mart. aedem via Salaria incendio
consumptam restituit.

Edictum ab rege Atalarico de litibus adversus clerum, DXXVIII.
uti iudicium a Pontifice Maximo exerceretur.

Felix anno V. pontificatus sui mortuus est. In eius DXXX.
locum f. e. Bonifacius II.. Huic factio seditiosorum
Dioscorum opposuit, cuius tamen conatus mors brevi
compressit.

Concilium a Bonifacio vocatum ut de successore deli-
beraret. Eumdem quum designatus esset, mox vitio
factum pronunciavit. Concilium rursus bis indictum:
primo actum de administratione Ecclesiar. illyrica-
rum: secundo de veteri doctrina adversus Euty- DXXXII.
chianos.

Bonifacius anno III. pontificatus sui mortuus est. In
eius locum f. e. Ioannes II.. Eo Pontifice captatoribus
suffragiorum aditus ad sacros honores senatus con-
sulto interclusus: iidem ab rege Atalarico poena
multati.

Legati ab Iustiniano Aug. venere, qui Pontif. Maximo DXXXIII.
litteras catholicae professionis testes offerrent, donaque Petro Apostolo in Vaticano dicarent.

Ioannes anno III. pontificatus sui mortuus est. In eius DXXXV.
locum f. e. Agapetus. Hunc rex Theodotus pacis constituendae caussa oratorem ad Iustinianum Aug. misit: magni eidem honores Constantinopoli habiti. Anthimus auctor rerum novarum ex eius auctoritate pontificatu se abdicare coactus: multi haereticarum partium duces in exsilium pulsi.

Agapetus mense XI. pontificatus sui mortuus est Con- DXXXVI.
stantinopoli. In eius locum f. e. Silverius quem rex Theodotus commendarat.

Belisarius dux gothici belli Campania recepta Urbem DXXXVII.
ingressus, moenia et propugnacula restituit, fossam circumduxit, Gothorum impetum retardavit.

Rex Vitiges Urbem obsidione clausit. In eo rerum discrimine Theodora Aug. Silverio exsilium irrogavit, quod Anthimi restitutioni adversatus esset: eidem Vigilium per vim suffecit.

Silverius anno II. pontificatus sui in exsilio martyrium DXXXVIII.
fecit. Ab eius morte Vigilius Pontifex Maximus habitus est.

Gothi obsidionem Urbis solverunt. Belisarius, Africa subacta et Urbe atque Italia liberata, crucem auream centum pondo gemmis distinctam Petro Apostolo donum dedit. Idem hospitales domos alendis pauperibus binas exstruxit.

Arator Acta Apostolorum quae versibus complexus erat
ad Petri in Exquiliis recitavit. Hypodiaconus a Vigi- DXXXXIII.
lio factus est.

Rex Totilas Urbem obsidere instituit. Iustinianus Aug. DXXXXV.
Vigilium Constantinopolim arcessivit.

Urbs a rege Totila capta est, moenia interrupta, opes DXXXXVI.
direptae: magnus civium numerus diffugit: multi a rege in Campaniam deducti.

Belisarius Urbem improviso adventu recepit, communivit: Gothos oppugnationem inferentes fugavit. DXXXXVII.

Urbs iterum ab rege Totila obsessa captaque est: Graeci magnam partem caesi, cives bene habiti sunt. DXXXXVIIII.

Vigilius Constantinopoli multis precibus a Iustiniano DL.
Aug. contendit, ut bellum adversus Gothos renovaret.
Controversiae ibidem moveri coeptae de scriptis Theodori et Theodoreti et Ibae. Vigilius sententiae Au- DLI.
gusti adversatus Chalcedonem in asylum secessit.

Urbs a Narsete pulsis Gothis recepta. Qui mausoleum DLII.
Hadriani communiverant, in deditionem venerunt.

Concilium magnum Constantinopoli actum. Vigilius cum DLIII.
sententiae eius suffragatoribus ob constantiam propositi in exsilium pulsus. Paullo post revocatus, exposita sententiae suae formula acta concilii comprobavit. Idem quum Romam rediret Syracusis mortuus est. In eius locum f. e. Pelagius, quem Iustinianus Aug. commendarat. DLV.

Summa inter Episcopos de concilii quinti auctoritate dissensio fuit: eam Pelagius litteris sedare conatus est. Narsete auctore templa Urbis instaurata, domus DLVI.
restitutae. Aucta a Pelagio aedes Laurentî extra pomoerium, et sepulcrum martyris signis argenteis excultum: idem domi aedes hospitales senibus egenis constituit, templum Philippi et Iacobi Apostt. inchoavit.

Pelagius anno V. pontificatus sui mortuus est. In eius DLX.
locum f. e. Ioannes III.. Hoc Pontifice templum Philippi et Iacobi Apostt. absolutum est.

Pestilentia gravis in urbe terraque Italia omne morta- DLXVI.
lium genus depopulata est.

Ioannes Neapolim profectus Narsetem iam in Graeciam DLXVII.
solventem retinuit et in Urbem reduxit.

Rex Alboinus magnum Langobardorum aliarumque gen- DLXVIII.
tium exercitum in Italiam infudit.

Ioannes anno XIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Benedictus. Hoc Pontifice Gregorius, DLXXIII.
qui Magnus dictus est, quum se praefectura Urbis abdicasset, coenobium domi suae ad clivum Scauri condidit, ibique monachum agere instituit.

Magnae passim a Langobardis inlatae Italiae clades: DLXXV.
pleraque oppida capta: incursiones in fines romanos factae.

Benedictus anno V. pontificatus sui mortuus est. In DLXXVIII.

eius locum f. e. Pelagius II.. Legati ab eo ad Tiberium Aug., qui auxilium adversus hostes implorarent. Submissae Graecorum copiae Langobardos Urbi imminentes in officio tenuere. Procuratio negotiorum pontificalium apud Tiberium Aug. Gregorio data est.

Langobardi coenobium agri Casinatis irruptione facta DLXXXII. ceperunt. Monachos dilapsos vagosque Pelagius collegit, sedemque iis ad Lateranum dedit.

Mauritius Aug. de Urbis periculo admonitus. Gregorius DLXXXIII. in patriam rediit. Graves litterae a Pelagio missae ad Heliam pontificem Aquileiensium et ad omnes Venetiae Episcopos, ut a perversa sententia dimoveret. Zmaragdi Exarchae Ravennat. auctoritas atq. opera interposita est.

Concilium indictum ad eos in gratiam recipiendos, qui DLXXXVIIII. ob acta concilii magni Constantinopolitani II. a Pontifice Maximo dissederant. Praefationum quae in sacris sollemnibus cantantur exemplar Gallis et Germanis datum.

Tiberis exundatio et pestilentia in urbe fuit: funestae ubique domus. Pelagius ipse anno XII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Gregorius Magnus. DLXXXX. Supplicationes ab eo ad templa institutae placandi Numinis caussa.

Ariolfi ducis Spoletinorum conatus Gregorio auctore repressi. Rex Agilulfus obsidionem Urbis solvere DLXXXXII. coactus. Regina Theodelinda de controversiis concilii quinti a Gregorio edocta. Multi pacis studio labores exantlati.

Gregorius legatis in Sardiniam sacerdotibus multos ina- DLXXXXV. nium deorum cultores veteri superstitione liberavit. Ioannem episcopum constantinopol., qui se pontificem oecumenicum appellabat, abstinere eo titulo iussit. Concilio vocato Ioannem presbyterum chalcedonensem haeresisins imulatum absolvit.

Augustinus et socii monachi missi a Gregorio in Bri- DLXXXXVI. tanniam, qui eas gentes ad christianam professionem instituerent. Crotoniates contumeliis captivitatis exempti. Pax eo conciliatore Italiae reddita. DLXXXXVIIII.

Aedes Agathae vico Suburra, quam Flavius Ricimer

adornarat, expiata dedicataque est. Templa passim ornatu exculta, donariis aucta.

SAECULUM VII.

Concilium a Gregorio indictum ad Lateranum. Controversiae de iure monachorum diremptae: Andreas Planus damnatus est. DCI.

Dona a Gregorio reginae Theodelindae missa lagunculae olei plenae de lychnis ad martyrum sepulcra ardentibus. DCII.

Gregorius anno XIIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Sabinianus. Hoc Pontifice fames in Urbe fuit. Ravennae actum ex eius auctoritate de dissidio Episcopor. tollendo. Candidianus pontifex maior Aquileiensium rite factus in insulam Gradum concessit. DCIIII.

Sabinianus anno II. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Bonifacius III.. Huius opera Phocas Aug. adversus pontifices constantinopolitanos edixit, unum esse qui episcopus oecumenicus habendus sit, Pontificem Romanum. DCVII.

Concilio in Urbem convocato actum de Pontificum creatione, decretumque factum est, a defuncti sepultura triduum suffragiis supersedendum videri.

Bonifacius mense VIIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Bonifacius IIII.. Pantheon ab eo expiatum dedicatumque est consensu Phocae Aug., DCVIII.
qui novae aedi fundos adtribuit.

Concilium vocatum ad componendas Britannorum controversias. De iure monachorum responsa data. DCX.

Bonifacius anno VII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Adeodatus. Oriente omni Persarum incursionibus infesto pax in Italia fuit. Langobardi DCXV.
arianas partes plerique deseruerunt.

Terrae primum maximus motus, deinde lues Urbem adtrivit. Adeodatus anno IIII. pontif. sui mortuus DCXVIIII.
est. In eius locum f. e. Bonifacius V..

Legati e Britannia nunciaverunt, regem Athelualdum DCXXI.
factum esse christianum. Rex Northumbriorum Boni-

facii litteris ad christianam professionem excitatus est. Pontificis cantuariensis honores aucti.

Bonifacius anno VI. pontificatus sui mortuus est. In DCXXV.
eius locum f. e. Honorius. Hoc Pontif. sacrosancta Crux D. N. Iesu ab Heraclio de Persis recepta est. DCXXVIIII.

Turbatum in Oriente ob haeresim Monotheletarum. DCXXXIIII.
Fraudolentae ad Honorium de ea litterae a fautoribus missae: responsum ab eodem secundum quaesita datum: Cyrus pontifex alexandrinorum silere iussus.

Saxones, qui insulam Britanniam ad occidentem incolebant, Honorii opera christianam professionem am- DCXXXVII.
plexi. Dissidium dioecesis aquileiensis in multos annos sublatum.

Templum Vaticanum ab Honorio tegulis aereis de aede Romae avulsis contectum est. Aedes Hagnae via Nomentana, Pancratii via Aurelia restitutae: item aedes Apollinaris in Vaticano, IIII. Coronatorum in Coelio, Luciae ad clivum Suburrae, Hadriani in tribus Foris, Anastasii ad aquas Salvias, Cyriaci via Ostiensi conditae.

Honorius anno XIII. pontificatus sui mortuus est. Inter- DCXXXVIII.
regnum ab eius morte anni et mensium VII. dierumq. XVII.. Per id tempus sacri thesauri templi Lateran. ab Isaaco Exarcha, pulsis in exsilium custodibus, compilati.

Severinus Pontifex Maximus f. e.. Concilium ab eo voca- DCXXXX.
tum adversus Monotheletas: Ἔκθεσις Heraclii Aug. et acta Synodi constantinop. rescissa, damnata.

Severinus mense III. pontificatus sui mortuus est. In DCXXXXI.
eius locum f. e. Ioannes IIII.. Litterae ab hoc ad Heraclium Constantinum Aug. missae, ut eum de Honorii Pont. Max. recta sententia et de Sergii pontif. constantinop. perversa doctrina edoceret.

Dalmatae ab eodem atque Histri inopia levati: quique DCXXXXII.
a barbaris rapti in servitutem fuerant, pretio redempti. Aedes Venantii et Anastasii ad fontem lateran. exstructa.

Ioannes anno II. pontificatus sui mortuus est. In eius
locum f. e. Theodorus. Hoc Pontifice Pyrrhus, qui DCXXXXV.
pontificatu constantinop. se abdicarat, Romam venit,

et Monotheletarum doctrina reiecta sacramentum ex formula catholicae professionis dixit.

Paullus pontifex constantinop. a Theodoro graviter admonitus, ut animi doctrinaeque suae sensa aperiret. DCXXXXVI·
Aedes Valentini mart. via Flaminia condita est.

Pyrrhus quod Ravennae degens ad partes Monotheletarum redierat, a Theodoro damnatus est. Sententia in eum ad Petri Apost. sepulcrum D. N. Iesu san- DCXXXXVIII·
guine scripta.

Theodorus anno VII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Martinus. Concilium ab hoc voca- DCXXXXVIIII·
tum in Lateranum: reiecta omnium suffragiis Ἔκθεσις Heraclii, Τύπος Constantis Augg. damnati: partium duces Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paullus.

Martinus a Kalliopa Exarcha in templo Lateran. captus DCLIII·
Constantinopol. adductus est, ibique Constantis Aug. iussu in carcerem coniectus ad tres menses in vinculis fuit. Proditionis accusatus crimen diluit, calumniam obtrivit. Idem exsutus insignibus pontificatus et in exsilium actus, praeclarum martyrium fecit anno VII. pontificatus sui. DCLV·

Eugenius sex ante menses creatus, a Martini morte pontificatum suscepit et legatos Constantinopolim misit. Litterae ad eum a Petro pontifice constantinop. venerunt doli plenae, quas populus romanus universus quum recitarentur reiiciendas conclamavit.

Eugenius anno III. pontificatus sui mortuus est. In DCLVII·
eius locum f. e. Vitalianus. Legati ab hoc Constantinopolim, qui Constantem Aug. de officio admonerent. Is librum Evangeliorum frontibus aureis gemmatis Petro Apost. donum misit.

Marinus a Vitaliano primus Ferrariensibus Episcopus DCLXI·
datus.

Constans Aug. classe Tarentum appulit, et Romam cum exercitu venit. Vitalianus cum patribus populoque ad DCLXIII·
milliarium VI. obviam progressus, eum in Urbem atque ad templum Vaticanum deduxit. Ille donis Petro Apost. dicatis lustrataque Urbe, aeris quantum ubique reliquum nactus est abstulit, et duodecimo ab adventu die Neapolim reversus in Siciliam navigavit.

Maurus pontifex Ravennatium, quod imperii expers Pontificem Maximum tamquam alienum haberet, nec in iudicium vocatus adesset, Vitaliani sententia a sacris communibus remotus est. DCLXVI.

Concilium actum ob delatum nomen Ioannis pontificis Lappensium in insula Creta, isque absolutus est. Theodorus a Graecia monachus in Britanniam missus iuventutis instituendae et disciplinarum tradendarum caussa. DCLXVII.

Vitalianus anno XV. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Adeodatus II.. Hoc Pontifice aedes Petri via Portuensi restituta dedicataque est. Idem coenobium quod in Coelio incoluerat refecit, ditavit. DCLXXII.

Audoenus pontifex Rodumnatium in Urbem sepulcri Apostolorum visendi caussa venit, multaque Gallicarum gentium donaria attulit et dedicavit. DCLXXV.

Adeodatus anno V. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Donus. Huic Reparatus pontifex Ravennatium reverentiam, quam debebat, ambitu relicto praestitit. DCLXXVI.

Quadrigemina templo Vaticano porticus addita, aedesque Apostt. via Ostiensi, Euphemiae via Appia restitutae.

Litterae ab Constantino Barbato Aug. ad Donum missae, ut concilium magnum Constantinopolim vocaretur. DCLXXVIII.

Donus anno III. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Agatho. Concilium ab hoc indictum, ut Vilfrido pontifici, quem Eboracenses in exsilium egerant, postliminium daretur. Controversiae Britannorum diremptae.

Concilium iterum actum adversus Monotheletas. Legati Constantinopolim, qui concilio magno praeessent. DCLXXVIIII.

Pestilentia gravis in Urbem totamq. Italiam incidit: ope Sebastiani martyris implorata, contagio morbi prohibita est. DCLXXX.

Constantinus Barbatus Aug. edicto cavit, ne quis in posterum, cui pontificatus maximus delatus esset, aurum donaticum Augustis pendere cogeretur. DCLXXXI.

Agatho anno III. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Leo II.. Praescriptum a Constantino Barbato Aug., ut pontifex Ravennatium in Urbe a Pon- DCLXXXII.

tifice Maximo consecraretur. Decretum a Leone, ne quid ab eo ob honoris insignia exigeretur.

Aedes a Leone tres conditae inlatisque cineribus martyrum dedicatae, Paulli ad Vivianae, Sebastiani, et Georgii in foro Boario.

Leo mense XI. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Benedictus II.. Huic Constantinus Bar- DCLXXXIIII. batus Aug. caesariem Iustiniani et Heraclii filiorum honoris ergo tamquam parenti alteri et domino misit. Idem decrevit, ut qui deinde Pontifex Maximus creatus esset, Augusto in incertum auctore protinus consecraretur.

Templum Vaticanum, aedes rotunda, aedes Laurentî et Lucinae, aedes Valentini via Flaminia, restitutae, ornatae, donariis auctae.

Benedictus mense XI. pontificat. sui mortuus est. In eius locum f. e. Ioannes V.. Hoc Pontifice Gisolfus dux DCLXXXV. Beneventanorum incursionem in fines romanos fecit.

Ioannes anno II. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Conon, qui Petrum et Theodorum competitores habuit. DCLXXXVI.

Conon mense XI. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Sergius. Huic factiones binae adversatae, DCLXXXVII. altera Theodorum, altera Paschalem opposuit.

Theodorus omisso honoris certamine Sergium adoravit. Paschalis ab Exarcha quem Ravenna acciverat desertus, magicis et superstitionibus obiectatis in coenobium deportatus est.

Rex Cedoaldus e Britannia in Urbem advenit, ibique a DCLXXXVIII. Sergio sanctae hebdomadis die sabbato christianus sacro baptismate factus et Petrus appellatus est. Idem antequam albas deponeret Romae defunctus.

Acta concilii trullani a Sergio reiecta, minis Iusti- DCLXXXXI. niani II. Aug. contemptis, insidiis militum submissorum detectis.

Nomen christianum Sergii cura per Germaniam propagatum. Dioecesis aquileiensis dissidia restincta, con- DCLXXXXVIII. cilii V. actis in perpetuum receptis.

Templi Vaticani lacunaria refecta, frons opere musivo exornata. Multae aedes sacrae restitutae aut donariis ditatae.

SAECULUM VIII.

Sergius anno XIIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Ioannes VI.. Huius opera tumultus Italiae adversus Theophylactum Exarcham compressus est. Idem Gisolfum ducem Beneventanorum copias ad Urbem hostiliter admoventem, muneribus placavit, captivos de eodem multos redemit. DCCI. DCCII.

Ioannes anno IIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Ioannes VII.. Huic Iustinianus II. Aug. acta concilii trullani misit, fidem in ea suam ut interponeret rogavit. Ille concilio Episcopor. vocato nihil immutavit. Iisdem iudicibus Vilfridus pontifex Eboracensium iterum absolutus est. DCCV.

Rex Aribertus patrimonium, quod Ecclesiae Romanae in Alpibus Cottiis maiores eripuerant, Ioanni restituit. DCCVII.

Cella Sanctae Virginis in templo Vaticano a Ioanne exstructa: aedes Eugeniae laqueari refecto exornata.

Ioannes anno III. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Sisinnius, qui vicesimo die pontificatus sui interceptus Constantinum successorem habuit. Hoc Pontifice fames in Urbe triennio fuit. DCCVIII.

Constantinus a Iustiniano II. Aug. Constantinopolim accitus, portu romano solvit. Magnus ei honos Aug. iussu in maritimis Italiae urbibus, maximus Constantinopoli habitus est. Eo absente caedes procerum in Urbe a Rizocopo Exarcha facta est. DCCX.

Constantinus rectis consiliis Augusto datis rebusque compositis in Italiam rediit. Eum populus romanus a portu Caietae frequens in Urbem deduxit. DCCXI.

Litterae a Philippico Aug. adlatae veteris doctrinae alienae et acta concilii VI. improbantes. Quibus a Constantino repudiatis, populus romanus sex concilia in templi Vatic. porticu pingenda curavit, eaque ne delerentur effecit: Philippicum nullo honore dignatus est, praefectumq. reiecit qui eius nomine inductus erat. DCCXII.

Nuncii Constantinopoli venere, Philippico deturbato Anastasium Imperatorem Augustum esse factum. DCCXIII.

Idem litteris ad Pontificem Maximum missis, se ultro
Concilium VI. venerari professus est.

Constantinus anno VIII. pontific. sui mortuus est. In DCCXV.
eius locum f. e. Gregorius II.. Eo auctore moenia
Urbis restitui coepta. Patrimonium Alpium Cottia-
rum adversus regis Liutprandi cupiditatem eiusdem
instantía conservatum.

Tiberis exundatio in Urbe fuit. Eius periculi avertendi
caussa supplicationes ad templa indictae. DCCXVI.

Leo Isauricus Aug. catholicam professionis suae for-
mulam ad Gregorium misit. Imago eius populo plau-
dente in Urbem inlata.

Cumae Gregorii consilio eiectis Langobardis receptae. DCCXVII.
Petronax decurio brixianus Casinum destinatus coe-
nobii restituendi caussa: monachi frequentes incolere
coeperunt. Et Romae item multi in coenobia, aedibus
partim refectis partim ab inchoato exstructis, reducti
sunt.

Iura pontificum gradensis et aquileiensis Gregorii lit- DCCXVIIII.
teris definita. Concilium in urbe actum adversus illi-
cita conubia.

Bonifacius nomine christiano apud barbaras nationes
propagato Romam venit, et a Gregorio pontifex factus DCCXXIII.
in Germaniam iterum missus est. Concilium iterum
vocatum ut Corbiniani pontificis Frisingensium caussa
ageretur.

Petrus pontifex Polatium, quod pontificatum gradensem
accepisset, priore etiam a Gregorio spoliatus est. Ve- DCCXXV.
neti admoniti ut pontifices ex veteri praescripto crea-
rent. Datum his deprecantibus ut Petrus Polam ad
pristinos honores rediret.

Eodem anno edictum a Leone Aug. propositum est, ut
in provinciis imperii romani imagines sacrae nullae
essent. Gregorius concilio convocato Iconoclastas o- DCCXXVI.
mnes damnavit, et gravibus litteris Leonem Aug. a
proposito deterrere conatus est. Idem spe frustratus, DCCXXVII.
populum romanum et Italiae civitates ad veterem
doctrinam retinendam confirmavit.

Insidiae a Leone Aug. Gregorio paratae: milites ad
Urbis perniciem Ravenna et Neapoli acciti. Rex Liut- DCCXXVIII.

prandus Ravennam cepit, Graecos insectatus Romanis favit.

Ravenna Venetorum ope a Graecis recepta. Liutprandus Romam cum exercitu venit, donaque Petro Apostolo DCCXXVIIII.
in Vaticano dicavit. Eutychio Exarcha, qui de P. R. pessime meritus erat, Gregorii precibus condonato, in regnum suum Urbe intacta recessit.

Anastasio, quem Leo Aug. Germano eiecto Constanti- DCCXXX.
nopolitanis pontificem dederat, ius omne ob haeresim Gregorii sententia ademptum.

Templum Paulli via Ostiensi a Gregorio laquearibus restitutis et altari exstructo renovatum est: aedes Sessoriana, aedes Laurentii extra pomoerium refectae: aedes Agathae solo privato condita. Aqua Martia in Urbem reducta.

Gregorius anno XVI. Pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Gregorius III.. Litterae ab eo ad DCCXXXI.
Augg. missae commonendi caussa, quas legatus ob metum non pertulit. Is concilio vocato increpitus et viam eamdem inire iussus est.

Concilium iterum in Vaticano actum adversus Icono- DCCXXXII.
clastas. Iidem a sacris communibus exclusi, et actorum exemplar ad Augg. missum, nec perlatum, eo qui ferebat in Sicilia deprehenso.

Leonis Aug. iussu erepta Ecclesiae Romanae patrimonia DCCXXXIII.
quae in Sicilia quaeq. in Bruttiis habebat.

Litterae a Gregorio scriptae ad novos Germaniae chri- DCCXXXVIII.
stianos, quas Bonifacius Apostolus attulit.

Rex Luitprandus incursionem in fines romanos fecit, DCCXXXX.
quod hostis eius Trasmondus dux Spoletinorum perfugium in Urbe invenisset. Eumdem Romani post regis discessum in pristinum statum restituerunt.

Legati cum muneribus a Gregorio in Gallias, qui opem DCCXXXXI.
a Karolo Martello adversus Langobardos et Graecos implorarent.

Templa bina Vaticanum et Liberianum a Gregorio exculta, aedesq. plures refectae, Chrysogoni, Callisti, Genesii, Marci, item Mariae ad Martyres, Mariae ad Equiria, Sergii et Bacchi, Petri et Marcellini, Processi et Martiniani. Idem muros Urbis restituendos curavit.

Gregorius anno XI. pontificatus sui mortuus est. In
eius locum f. e. Zacharias. Missi ab hoc oratores ad
regem Liutprandum, qui de pace agerent et res bello
captas repeterent. Iisdem re infecta domum reversis,
Zacharias ipse Hortanum profectus cum rege transe-
git, oppidis praediisque et captivis receptis. Suppli- DCCXXXXII.
cationem redux indixit gratiarum Deo agendarum
caussa.

Eutychius Exarchas Ravennatium terrore belli ingruente
Zachariae auxilium et fidem invocavit. Hic itinere DCCXXXXIII.
Ticinum usque suscepto, et Liutprando Ravennatibus
placato, pacem Italiae constituit.

Concilium in Urbe actum disciplinae veteris retinendae
caussa: item adversus Aldebertum et Clementem a
Bonifacio seditionis per Germaniam delatos. DCCXXXXV.

Karlomannus regis Pipini frater sepulcra Apostolorum
invisit, munera dicavit. Idem a Zacharia volens li-
bensque inter monachos adlectus in Soracte secessit. DCCXXXXVII.

Mangones a Zacharia coerciti qui servos in Africam
venum portabant, et pretio soluto liberati qui iam DCCXXXXVIII.
empti fuerant.

Rex Rachis Zachariae hortatu Perusiae obsidionem sol-
vit. Idem paullo post relicto regno Casinum profectus DCCXXXXVIIII.
monachum agere coepit, et proximum uxori et filiabus
coenobium condidit.

Legati e Galliis, qui procerum consilium de summa im- DCCLI.
perii ad Pipinum deferenda Zachariae probarent. Rex
Chilpericus inter monachos relatus est.

Zacharias anno XI. pontificatus sui mortuus est. In DCCLII.
eius locum creatus Stephanus II., qui quarto post die
ante ipsam consecrationem interceptus Stephanum III.
successorem habuit.

Turbatum in Italia est. Ravenna a rege Astolfo capta.
Stephanus postquam irritas legationes fuisse accepit, DCCLIIII.
ipse Ticinum profectus pace infecta in Gallias perrexit.

Rex Pipinus Stephani rogatu bellum Astolfo intulit, et
pacem petere coegit. Eumdem, quia violato iureiurando
ad arma rediens Urbem obsidione cinxerat, expedi-
tione iterum suscepta Ticinum compulit, et graves ei
pacis conditiones dedit. DCCLV.

Regis Pipini beneficio Aemilia atque Umbria Pontifici Maximo parere coepit. Graeci imperio pleraeque Italiae excidere.

Langobardi rege Astolfo mortuo regnum Desiderio ex auctoritate Stephani detulerunt. DCCLVI.

Domus hospitales pauperibus alendis in Urbe quaternae restitutae, binae redditibus annuis instructae. Aedes Petronillae in Vaticano condita.

Stephanus anno VI. pontificatus sui mortuus est. In DCCLVII.
eius locum f. e. Paullus. Tres cum hoc de honore contenderunt, Theophylactus, Constantinus, Philippus.

Rex Desiderius rupto iureiurando fundos Ecclesiae Ro- DCCLX.
man. non reddidit, incursionem in fines romanos fecit. Legati a rege Pipino missi, eiusq. arbitrio res compositae.

Coenobium cum aede Stephani et Silvestri solo privato a Paullo conditum. Idem Augustos gravibus litteris DCCLXII.
de officio admonitos ut sacris imaginibus honorem haberent hortatus est.

Senatus populusque romanus regem Pipinum Patricium appellavit, datisque litteris gratias ei ob adlatam DCCLXIII.
contra hostes opem amplissimas egit.

Sacri Martyrum cineres sollemni pompa e cryptis in templa translati. Aedes Petri et Paulli via Sacra dedicatast.

Paullus anno XI. pontificatus sui mortuus est. In eius DCCLXVII.
locum factio Totonis Constantinum per vim creavit. Principes Cleri rege Desiderio in auxilium advocato ad suffragia quum venissent, Stephanum IIII. Pon- DCCLXVIII.
tificem Maximum designarunt.

Concilium a Stephano vocatum ambitus coercendi caussa: DCCLXVIIII.
leges latae de cultu imaginum sacrarum: actaque concilii ad Augustos Constantinopolim missa.

Rex Desiderius ad Urbem cum exercitu venit, Stephanoq. adversus factiones seditiosorum praesto fuit. Pace DCCLXX.
cum populo romano confirmata in regnum revertit.

Stephanus anno IIII. pontificatus sui mortuus est. In DCCLXXII.
eius locum f. e. Hadrianus. Legati ad hunc ab rege Desiderio venere foederis renovandi caussa: Hadrianus de violatis conditionibus questus est.

Rex Desiderius in fines romanos cum exercitu ingressus,
Faventiam, Comaculam, Ferrariam praesidiis occupavit.
Oratores ab Hadriano in Gallias pergere iussi, qui re- DCCLXXIII·
gem Karolum de periculo edocerent.
Rex Karolus comparato exercitu Alpes superavit, et rege
Desiderio fugato Ticinum obsidione clausit. Ipse Ro- DCCLXXIIII·
mam ad Hadrianum venit, eique se, quae Pipinus
pater decessoribus dederat, donare atque adtribuere
professus est.
Eodem anno Desiderius a rege Karolo captus est: Ponti-
fex Maximus oppida amissa recepit. Leonis pontificis DCCLXXX·
Ravennatium dominatio coercita, ditionis iura definita.
Litterae Constantinopoli adlatae sunt, Leone mortuo
Irenen Augustam imperare, pacemque populo, honorem sacris imaginibus redditum.
Rex Karolus Romam ad sollemnia Paschae cum liberis
venit. Ex his Karlomannus ab Hadriano baptismate DCCLXXXI·
ablutus et Pipinus appellatus est. Eundem regem Italiae, Ludovicum regem Aquitaniae rite consecravit.
Concilium magnum Constantinopolim vocatum adversus
Iconoclastas: legati ab Hadriano missi, qui praees- DCCLXXXVI·
sent. Factione dominante, ipsi et pontifices universi
ex auctoritate Irenes Aug. Nicaeam concessere. Ico- DCCLXXXVII·
noclastae omnium suffragiis damnati, sacraeque imagines templis et altaribus redditae.
Rex Karolus Urbem tertio invisit. Phonascos, grammaticos, arithmeticos ad incrementa litterarum in Gallias abduxit.
Hadriani munificentia aedes Mariae ad scholam Graecam, aedes Pancratii via Aurelia a solo restitutae, aedes praeterea Laurentii mart., omnes ornatu excultae, aliae plures donariis auctae: coenobia monachorum et virginum condita. Idem muros ac turres refecit: porticum a porta Ostiensi ad templum Paulli a maioribus perductam renovavit: ductus aquarum Virginis, Sabatinae, Claudiae restituit.
Tiberis exundatio in Urbe fuit. Hadrianus dum aquae de- DCCLXXXXI·
fluerent, sumptu suo alimenta ad aedes egentium lenunculis deferenda curavit.

Concilium actum adversus Felicem Pontific. Urgellitanor.. Venia ob poenitentiam primum data, ut honoris sui gradum teneret: idem postea ob haeresim renovatam cum Elipando pontifice Toletanor. Francofurti in concilio damnatus est. At quae ibidem de cultu imaginum sacrarum prolata fuerunt, ab Hadriano repudiata sunt. DCCLXXXXII. DCCLXXXXIII.

Hadrianus anno XIIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Leo III.. Foedus cum hoc a rege Karolo renovatum: legati vicissim cum donis missi. DCCLXXXXIIII.

Aedes Susannae, aedes Nerei et Achillei a Leone refectae: sacrarium Michaelis Archang., triclinium geminum, aula, porticus templi in Laterano exaedificata. Idem templum Liberianum et Vaticanum laquearibus ubique restitutis ornavit, auxit, aedesque proximas magnificis operibus excoluit. Hospitales domos aegrotis et egentibus binas exstruxit. DCCLXXXXV.

Concilium iterum vocatum adversus Felicem pont. Urgellitanor., poenaque ni serio tandem ab errore resipisceret intentata, ut a sacris communibus exclusus haberetur. DCCLXXXXVIIII.

Eodem anno coniuratum in Leonem a Paschali et Campulo, eique vis inlata quum pompam sollemnem supplicationis caussa duceret. Leo divinitus servatus, tumultu a Guinigiso duce Spoletinorum compresso, in Gallias ad regem Karolum profectus est.

Rex Karolus Romam quarto venit coniurationis vindicandae caussa: Leo Nomentum usque progressus est salutandi caussa. Idem postridie regem sollemni pompa in Urbem ingressum pro gradibus templi Vaticani accepit. DCCC.

Natali die D. N. Iesu rex Karolus in templo Vaticano post sacrum sollemne a Leone rite redimitus: senatu populoque acclamante Imperator Augustus appellatus est.

Concilium a Leone vocatum, uti rerum gestarum rationem et caussas exponeret.

SAECULUM VIIII.

Leonis precibus, qui in mortem eius coniuraverant, a Karolo Aug. poena capitis liberati in exsilium acti sunt. DCCCI.

Curatores A. A. A. F.F. pecuniam Leonis et Karoli nomine signare coeperunt.

Hierosolyma ab rege Saracenorum Karolo Aug. permissa: legati ad eum a pontifice Hierosolymorum insignia potestatis in urbem attulere. Die a discessu Aug. septimo terraemotus tota in Italia, in Galliis, in Germania factus est: templum Paulli via Ostiensi concidit: Urbs ruinarum labe concussa.

Oriens Occidensque foedere iunctus, et pax mutuis Augustorum legationibus confirmata. DCCCIII·

Leo Mantuam profectus primum Mantuanis pontificem Gregorium dedit. Inde in Gallias ad Karolum Aug. DCCCIIII· perrexit: magnis ab eo muneribus cumulatus in Italiam per Noricum rediit.

Karolus Aug. regna in filios partitus, tabulas testamenti DCCCVI· ad Leonem ut subscriberet per Eginardum leg. misit. Insulam Corsicam Pontifici Maximo parere iussit.

Templum Paulli via Ostiensi a Leone refectum: addita porticus, opera ex auro argentoq. renovata et aucta.

Legati ab concilio aquisgranensi ad Leonem venere con- DCCCVIIII· sulturi de additamento FILIOQUE, an ea vox christianae professionis formulae inserenda esset.

Michael Aug. legatos Constantinopoli ad Leonem misit DCCCXII· foederis componendi caussa. Leo in Karoli Aug. conditiones convenit.

Ludovici Aug. iussu munera in urbem adlata, quae Ka- DCCCXIIII· rolus pater Petro Apostolo ultima testamento legarat.

Templum Apollinaris Ravennae sumptibus civium resti- DCCCXV· tui coeptum, impensa Leonis absolutum est.

Coniuratum iterum in mortem Leonis: auctores coniurationis poenas dedere. Missi a Leone in Gallias, qui de ea re Ludovicum Aug. edocerent.

Leo anno XXI. pontificatus sui mortuus est. In eius DCCCXVI· locum f. e. Stephanus V.. Huïc Ludovicus Aug. Remos ad se venienti summo honore occurrit, hospitiumque magnificum praebuit. Idem et Ermengarda uxor insigne imperî ab eo sollemnibus caeremoniis coronam accepere. Inde Stephanus in Urbem rediens exsules reduxit.

Monachis Farfensibus iura praediorum Pontificis Maximi DCCCXVII· auctoritate confirmata sunt.

Stephanus mense VIII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Paschalis.. Legati ab eo ad Ludovicum Aug., qui de creatione sua certiorem facerent foedusque cum eo renovarent.
Leone Armeno Aug. auctore atque duce Iconoclastarum DCCCXVIII. seditio per Orientem recruduit. Litterae in eos a Paschali missae ad Ecclesias doctrinae veteris tuendae caussa. Graeci, quos Leo ob constantiam propositi exsulare coegit, in Urbem recepti sunt.
Lotharius Ludovici Aug. F. in Urbem sollemni pompa DCCCXXIII. ingressus et in templum Vaticanum deductus insignibus imperî a Paschali rite ornatus est.
Ebbo pontifex Remorum in Daniam ex auctoritate Pontificis Maximi profectus est, ut eas gentes ex inani superstitione ad christianos ritus traduceret.
Templum Liberianum a Paschali excultum: coenobium virginum conditum, aedesque Caeciliae sacro corpore eius inlato dedicatast: item aedes Mariae in Coelio, Praxedis in Exquiliis restituta: cryptaporticus a Vaticano ad arcem refecta.
Paschalis anno VIII. pontificatus sui mortuus est. In eius DCCCXXIIII. locum f. e. Eugenius II.. Huic factio seditiosorum Zisinnum opposuit: eundem mutata deseruit.
Lotharius Aug. iterum in Urbem venit iudiciorum resti- DCCCXXVI. tuendorum caussa. Controversiis civium diremptis, legibus populo constitutis, in Gallias rediit.
Concilium ab Eugenio vocatum, ut de iuventutis italicae DCCCXXVII. institutione ageretur: item ut convictus Sacerdotum Canonicor. retineretur.
Aedes Sabinae in Aventino ab Eugenio exculta picturisque et argenteis operibus exornata.
Eugenius anno III. pontificatus sui mortuus est. In eius DCCCXXVIII. locum f. e. Valentinus, cui quadragesimus pontificatus dies vitae extremus fuit. Huic invitus et recusans Gregorius IIII. suffectus est.
Ostia a Gregorio fossa muroque adversus Saracenos mu- DCCCXXVIIII. nita.
Iuditha Aug. Gregorii iudicio e coenobio in thalamum DCCCXXXI. Ludovici Aug. reducta.
Lotharius Aug. Gregorium in Gallias parente invito de- DCCCXXXIII

duxit controversiarum componendarum caussa. Gregorius re infecta Romam reversus est.

Kalendae novembres dies sollemnis honori Caelitum universorum a Gregorio tributus.

Aedes restitutae quatuor, Saturnini, Marci, Hadriani, Gregorii: huic item cella in templo Vatic. exstructa: coenobium propter aedem Mariae Transtiberinae conditum: domus pontificales binae aedificatae: aqua Sabatina in Ianiculum et Vaticanum reducta.

Legati in Gallias a Gregorio missi regum conciliandorum DCCCXXXXI.
caussa. Bellum acrius exarsit: legati fugam arripere coacti sunt.

Gregorius anno XVII. pontificatus sui mortuus est. In DCCCXXXXIIII.
eius locum f. e. Sergius II.. Ab hoc Ludovicus Lotharii Aug. F. insignia regalia accepit et rex Italiae dictus est.

Aedes Romani mart. a Sergio condita, aedesque Silvestri et Martini regione Montana coenobio adiecto restituta: cella Praesepis in templo Liberiano exornata: porticus ad templum Constantin. exstructa, altare maximum omni ornamento excultum: domus pupillaris refecta.

Saraceni Tiberi invecti terrorem Urbi intulere: templis DCCCXXXXVI.
Petri et Paulli compilatis, agrum circa omnem vastaverunt.

Sergius anno IIII. pontificatus sui mortuus est. In eius DCCCXXXXVII.
locum f. e. Leo IIII.. Hoc Pontifice classis Saracenorum quum Neapoli solvisset, coorta tempestate fluctibus obruta est.

Pomoerium ampliatum, templo Vaticano adversus incur- DCCCXXXXVIII.
siones barbarorum moenibus clauso: id opus quadriennio absolutum est. Turres item ad ostia Tiberis factae. Pugnaque cum Saracenis commissa, naves fugatae aut captae.

Rex Ludovicus Lotharii Aug. F. Romam a patre mis- DCCCL.
sus sollemni ritu Augustus a Leone appellatus est.

Supplicatio indicta adiectae Urbis lustrandae causa, pom- DCCCLIII.
paque circum nova moenia ducta est: nomen Urbi a conditore Leonianae impositum. Eodem anno Corsis patria extorribus sedes datae ad portum romanum

agerque adsignatus. Item oppida Hortanum et Ameria muro cincta sunt.

Concilium a Leone vocatum disciplinae veteris retinendae caussa. Anastasius cardinalis titulo Marcello quod commeatu non impetrato quinquennium abfuisset loco motus est.

Alfredus e Britannia ab rege Etelvolfo patre missus ad Leonem venit, ut rite ab eo insignia regalia ferret.

Centumcellae restitutae oppido muris et turribus com- DCCCLIIII.
munito. Aedes in Urbe Mariae Virgini ab inchoato exstructae ad scholam Saxonum, et cella Leoni Magno condita in templo Vaticano: refectae aedes Mariae Transtiberinae et Quatuor Martyrum in Coelio: coenobium monachis graecis datum: binae virginibus adtributae domus: ornamenta templis Petri et Paulli quae Saraceni deripuerant reddita.

Leo anno VIII. pontificatus sui mortuus est. In eius lo- DCCCLV.
cum invitus ac recusans factus est Benedictus III.. Huic factio seditiosorum impetu in Lateranum facto Anastasium iam gradu suo motum opposuit, qui ab omnibus ordinibus reiectus est.

Tiberis exundatio in Urbe fuit, exinde lues: viae passim DCCCLVI.
multaeque mortibus funestae domus.

Aedes Mariae Transtiberinae absoluta est: aedes Petri et Marcellini laqueari renovato porticibusque adiectis refecta.

Benedictus anno III. pontificatus sui mortuus est. In DCCCLVIII.
eius locum f. e. Nicolaus Ludovico Aug. Romae agitante, qui honorem ei habuit maximum.

Episcopi in concilium vocati adversus Ioannem pontifi- DCCCLXI.
cem Ravennatium tyrannice dominantem, isque a sacris communibus exclusus est. Nicolaus Ravennam se contulit turbarum sedandarum caussa: Ioannem ob poenitentiam reduxit.

Legati, quos Nicolaus adversus Photium Constantinopolim miserat ut Ignatium pontificem restituerent, praevaricati sunt: iidemque in Gallias ire iussi ut regem Lotharium de repudiata uxsore admonerent, muneribus corrupti fidem prodiderunt.

Nicolaus regem Karolum Calvum Balduino comiti ob

raptam filiam infensum litteris placavit, dosque illi ut daretur effecit.

Concilium vocatum adversus legatos proditores: reiecta DCCCLXIII.
acta concilii metensis, spoliatique pontificatu episcopi Coloniae Agrippinae et Coloniae Treverorum atque a sacris remoti, quod incestum regis Lotharii matrimonium probassent.

Ludovicus Aug. Nicolao ob concilii iudicium iratus iter DCCCLXIIII.
ad Urbem suscepit. Supplicationes indictae periculi avertendi caussa: violati sacerdotes qui pompam ducebant. Nicolaus Augustum morbo implicitum invisit et ab ira revocavit.

Teutberga in regis Lotharii thalamum per Arsenium le- DCCCLXV.
gatum a Nicolao reducta.

Bulgari rege Bogori auctore legatos ad Nicolaum miserunt, ut controversias de christianae professionis officiis proponerent, et vitae magistros in regnum adducerent.

Legati a Basilio Aug. nunciavere, Ignatium Photio eiecto reductum pontificis munere Constantinopoli sancte perfungi.

Aedes Mariae Novae a Nicolao absoluta: domus pontificalis ad scholam graecam exstructa, et quae in Laterano erat aedificiis aucta et novo cultu exornata: rivi aquarum refecti: Ostia turribus munita et aditus praesidiis firmati.

Nicolaus anno X. pontificatus sui mortuus est. In eius
locum f. e. Hadrianus II.. Exsules ab hoc in patriam DCCCLXVII.
revocati.

Concilium ab Hadriano indictum contra Photium: acta eius rescissa: grave laudum praeconium Ignatio reduci tributum: Anastasius auctor rerum novarum a sacris remotus est: Eleutherius frater eius caedis patratae poenas dependit.

Concilium magnum Constantinopoli actum adversus Pho-
tium, isque omnium sententiis damnatus et scripta DCCCLXVIIII.
igni devota.

Hadrianus Casinum profectus regem Lotharium ad iusiurandum adegit, Gualdradae pellici nuncium se remissurum. Eodem mortuo legatos cum mandatis misit,

qui regnum eius Ludovico Aug. belli caussa absenti vindicarent, eique in Urbe regni paterni insignia dedit.

Adelgisus dux Beneventanorum ob coniurationem hostis appellatus est. Sergio duci Neapolitanorum et civitati universae ob vexatum Athanasium episcop. et compilatos Ecclesiae thesauros sacris interdictum est. DCCCLXXII·

Hadrianus anno V. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Ioannes VIII.. Hoc conciliatore Ludovicus Aug. Adelgiso pacem dedit belloque abstinuit. DCCCLXXIII·

Ioannes Veronam petiit ut Ludovicum Aug. cum rege Germaniae Ludovico dissidentem coniungeret.

Ludovico Aug. mortuo rex Karolus Calvus Romam ad- DCCCLXXV·
venit et donaria Petro Apost. dicavit. Idem insignibus imperî a Ioanne acceptis Augustus dictus est.

Ioannes Neapolim profectus est ut Sergium ducem a foedere Saracenorum divelleret. Idem Karolum Aug. per litteras de Italiae discrimine admonuit.

Adelardus pontifex Veronensium a sacris remotus, quod bona coenobii Nonantulani sibi ab Augusto adtribuenda curasset.

Concilium a Ioanne Romae indictum ut Karoli Aug. auctoritas adversus seditiosos retineretur: et aliud protinus Ravennae actum ad controversias Venetorum dirimendas. Inde Vercellas obviam Augusto progressus est, ut de bello in Saracenos ageret.

Karolo Aug. mortuo Urbs regis Karlomanni iussu oc- DCCCLXXVIII·
cupata est a Lamberto duce Spoletin. et Adalberto duce Etruscor.. Ioannes templo Vaticano cluso in Gallias abiit, concilioque Augustam Tricassinor. vocato Lambertum et socios sceleris a sacris removit. Regi Ludovico insignia regalia rite dedit.

Concilium a Ioanne in Urbem vocatum imperatoris creandi DCCCLXXVIIII·
caussa: item ut legatus Constantinopolim mitteretur, qui Photium ob poenitentiam sacris communibus redderet.

Rex Karolus Crassus quum Romam advenisset, natali DCCCLXXX·
die D. N. Iesu imperî insignia a Ioanne accepit et Augustus appellatus est. Athanasius iunior pontifex neapolit., quod societatem cum Saracenis iniisset

eamque dirimere iussus non pareret, a sacris communibus Ioannis sententia exclusus est.

Angilberga Aug. Ludovici Aug. uxsor Ioanne rogante in solatium viduitatis Romam e Germania migrare permissa est. DCCCLXXXII·

Ioannes anno XI. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Marinus. Huius rogatu Karolus Aug. in Italiam venit, et Nonantulam ad colloquium accessit. DCCCLXXXIII·

Marini sententia datum Formoso ut ad sedem honoris sui Portum rediret. Photius iterum damnatus est.

Marinus anno II. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Hadrianus III.. Hoc pontifice fames in urbe fuit, quod examina locustarum infesta messibus agros insedissent. DCCCLXXXIIII·

Concilium in Urbe actum ad controversias pontificum italicorum componendas. DCCCLXXXV·

Hadrianus quum in Germaniam ad Augustum pergeret, in agro mutinensi morbo interceptus et Nonantulae sepultus est. In eius locum f. e. Stephanus VI.. Hoc Pontifice aqua rite piata lustrati agri, eoque piaculo locustarum aversa pestis.

Karolus Aug. Stephani litteris invitatus in Italiam venit. Eodem anno Photius a Leone Sapiente Aug. Constantinopoli exactus est. DCCCLXXXVI·

Guido dux Spoletinorum bello in Berengarium suscepto regnum Italiae affectavit: idemque ob Saracenos devictos Augustus appellatus est. DCCCLXXXVIII·

Stephanus anno VII. pontificatus sui mortuus est. In eius locum f. e. Formosus. Ab hoc Lambertus Guidonis Aug. F. insignia imperî accepit. DCCCLXXXXI·

Rex Arnulfus Formosi litteris ad pacandam Italiam vocatus est. Bellum inter Guidonem et Berengarium recruduit. DCCCLXXXXIII·

Lambertus Aug. Urbem copiis occupavit. Turbatum adversus Formosum: factio Sergium opposuit: ipse in custodia habitus est. DCCCLXXXXVI·

Rex Arnulfus Urbem cepit et Formosum liberavit: exinde ab eo Augustus appellatus est. Honore auctus in Germaniam rediit.

Formosus anno V. pontificatus sui mortuus est. In eius

locum f. e. Bonifacius VI., quem mors die XV. pontificat. sui intercepit. Huic suffectus Stephanus VII..

Concilium a Stephano vocatum, ut Formosi nomen atque acta abolerentur. Lambertus Aug. fautorum studio receptus est.

Stephanus magno civium odio suscepto carceri inclusus DCCCLXXXXVII·
et inlata vi mortuus est. Huic suffectus Theodorus, quem, paci dum studet, XX. die pontificatus sui mors intercepit. In eius locum f. e. Ioannes VIIII..

Concilium a Ioanne indictum, ut Stephani VII. acta DCCCLXXXXVIII·
rescinderentur. Arnulfo reiecto maiestas imperî penes Lambertum Aug. stetit.

Ioannes Ravennam ad Lambertum Aug. profectus est, ut cum eo de pace et concordia revocanda deque rebus afflictis restituendis ageret. Acta concilii romani vocatis episcopis confirmata sunt.

Ioannes anno III. pontificatus sui mortuus est. In eius DCCCC·
locum f. e. Benedictus IIII..

SAECULUM X.

Rex Ludovicus insigna imperî a Benedicto accepit et DCCCCI·
Augustus appellatus est.

Concilium in Urbe actum, ut Argrinus pontifex Lingonensium in honoris sui sedem restitueretur.

Benedictus anno V. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Leo V., quem factio Christophori post XXXVIIII. DCCCCIIII·
diem carcere inclusit. Hic quum ex animi moerore paullo post obiisset, Christophoro eiecto pontificatus
maximus Sergio III. delatus est. DCCCCV·

Barbaris pleramque Italiam vexantibus, Saraceni stativis ad Tiberim factis praedam e finibus romanis egerunt.

Sergius templum Lateranum terrae motu pridem con-
cussum prolapsumque magna molitione restituit, et DCCCCVII·
picturis ornatum donariis ditavit.

Sergius anno VIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. DCCCCXI·
Anastasius III.. Hunc mense VIII. defunctum consequutus est Lando, quem mense V. pontif. sui mors intercepit. In e. l. f. e. Ioannes X.. Legati ab eo

Ticinum ad regem Berengarium cum muneribus missi, DCCCCXIII.
qui de Saracenor. incursionibus edocerent, et imperio
pop. romani proposito ad bellum saracenicum ducem DCCCCXIIII.
deposcerent.

Rex Berengarius exercitu comparato Romam accessit, et DCCCCXV.
insignia imperî sollemni ritu a Ioanne accepit.

Ioannes exercitum in Campaniam sequutus ad pugnam DCCCCXVI.
hortatus est: Saraceni omnes caesi aut capti.

Maria Marotia arcem romanam praesidio imposito occu-
pavit, et Guidoni duci Etruscorum nupta imperitare DCCCCXXIIII.
Urbi coepit.

Legati a Ioanne, qui regem Hugonem in Italiam regni DCCCCXXVIII.
capessendi caussa venientem salutarent.

Ioannes Mantuam perrexit, ut foedus cum rege Hu-
gone renovaret.

Guido et Marotia lictoribus in Lateranum immissis, et DCCCCXXVIIII.
Ioannis fratre sublato, Ioannem ipsum tenebris vin-
culisque mandarunt.

Ioannes anno XV. pontif. sui in vinculis mort. est. In
e. l. f. e. Leo VI.. Huic, quum VII post mense
mort. esset, suffectus est Stephanus VIII., qui
anno III. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Ioan- DCCCCXXXI.
nes X. Marotiae F..

Rex Hugo in Urbem ad Marotiam nuptiarum caussa
venit et in arcem receptus est. Albericus Ioannis DCCCCXXXII.
frater lecta iuvenum manu arcem obsidione clausit:
Hugo fugam arripuit.

Albericus eodem anno suffragiis populi romani princi-
patum adeptus, Marotiam matrem carcere inclusit,
Ioannem fratrem in custodia habuit.

Rex Hugo finibus romanis vastatis Urbem obsidere in- DCCCCXXXIII.
stituit: exercitu fame afflictato pacis consilia prae-
tulit, et Aldam filiam Alberico uxorem dedit.

Ioannes anno V. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. DCCCCXXXVI.
Leo VII.. Huius litteris Odo monachus in Urbem in-
vitatus est, ut eo auctore monachi ad pristinam
sanctimoniam revocarentur.

Albericus coenobio farfensi monachor. coercendor. caussa, DCCCCXXXVIIII.
Campone scelesto homine eiecto, Dagibertum virum
sanctissimum praefecit.

Leo anno IIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Ste- DCCCCXXXXI·
phanus VIIII.. Hoc Pontifice rex Hugo in fines ro-
manos incursionem iterum fecit.

Stephanus anno IIII. pontificatus sui mort. est. In e.
l. f. e. Marinus II.. Ab hoc monachis casinatibus et DCCCCXXXXIII·
vulturnensibus iura omnia et beneficia, a Pontt. Maxx.
aut a superioribus concessa principibus, uno diplomate DCCCCXXXXIIII·
confirmata sunt.

Marinus templa Urbis vetustate collapsa restituit.

Pax iterum inter regem Hugonem et Albericum prin-
cipem composita.

Marinus anno IIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. DCCCCXXXXVI·
Agapetus II.. Legati ab eo in Gallias, qui Artaldum
pont. Engilenheimensium concilio vocato in pristinum DCCCCXXXXVIII·
honoris sui gradum restituerent.

Concilium ab Agapeto in Urbe indictum, ut acta con-
cilii engilenheimensis confirmarentur. Hugo, qui Ar- DCCCCXXXXVIIII·
taldum deturbarat, a sacris remotus est.

Regis Othonis legatio ad Agapetum ob insignia imperî DCCCCLII·
rite impetranda, Alberici princ. dominatione reiecta est.

Albericum anno XXII. principatus sui mortuum Octa- DCCCCLIIII·
vianus filius excepit, qui post Agapetum anno X.
pontif. sui demortuum Pont. Max. esse coepit, et
Ioannes XII. appellatus est. DCCCCLVI·

Foedus a Ioanne initum cum Gisolfo duce Salernitan..
Legati in Germaniam ad regem Othonem missi, qui DCCCCLX·
ad bellum pro Urbe atq. Italia contra tyrannidem
hortarentur.

Otho Italiae regno potitus quum ad Urbem accessisset, DCCCCLXII·
effusa obviam civitate in Vaticanum deductus, insi-
gnia imperî a Ioanne tulit et Augustus appellatus est. DCCCCLXIII·

Nuncii Ticinum ad Othonem Aug. perlati, Ioannem ob
perversos mores in probro esse eundemque rebus novis
studere.

Otho Aug. Romam cum exercitu accessit. Ioannes cum
Adalberto regis Berengarî filio ab Urbe profugit.

Concilium Episcopor. actum Othonis Aug. iussu, et
Leo VIII. Ioanni per vim oppositus. Ab Othonis di-
scessu Ioannes Urbe receptus Leonem fugavit, ducesq.
partium ultus est. DCCCCLXIIII·

Ioannes anno VIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. invito Augusto f. e. Benedictus V., quem die XVIII. pontific. sui Urbe pulsum Leo excepit. At eo intra nonum mensem demortuo, pontificatus rursum penes Benedictum fuit: isque tricesimo post die interceptus Ioannem XIII. successorem habuit.

Primores Urbis Ioannem aversati, vi inlata captum in Campaniam relegarunt.

Othonis Aug. adventu in Italiam audito, Ioannes ab exsilio revocatus est. DCCCCLXVI.

Otho Aug. Urbem ingressus pro tribunali de auctoribus DCCCCLXVII.
seditionis cognovit: multi capite damnati aut in exsilium pulsi.

Concilium a Ioanne actum ad mores veteres revocandos, et controversias pontificum italicor. dirimendas. Idem Othonem Aug. Ravennam sequutus, concilio ibidem acto oppida ab regibus Italiae quondam occupata voluntate Augusti recepit.

Rex Otho Othonis Aug. f. Romam eodem anno a Ioanne et a patre invitatus, natali die D. N. Iesu insignibus imperî ornatus est.

Concilium iterum a Ioanne in Urbem vocatum, ut pon- DCCCCLXVIIII.
tificem Beneventanor. archiepiscopum diceret.

Stephania C. F. oppidum Praeneste vectigali imposito DCCCCLXX.
a Ioanne accepit.

Concilium tertio indictum, ut iura monachorum glasto- DCCCCLXXII.
niensium confirmarentur.

Ioannes anno VII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Benedictus VI.. Hunc romani proceres Crescentio auctore, ut Othonis Aug. Magni audita mors est, anno II. pontif. eius in carcerem coniecerunt, et in e. l. Bonifacium crearunt. Hic quinto post mense DCCCCLXXIIII.
exactus est, Benedictus per vim sublatus.

Donus II. Benedicto suffectus anno II. pontif. sui mort. DCCCCLXXV.
est. In e. l. f. e. Benedictus VII..

Concilium vocatum adversus Bonifacium et fautores eius: poenae in eos constitutae, qui Benedictum necaverant.

Otho II. Aug. Benedicti litteris invitatus, Italia pera- DCCCCLXXX.
grata in Urbem venit concordiae stabiliendae caussa. Rebus per Italiam pleramq. compositis quum bellum

in Saracenos pararet, Romae diem obiit supremum. DCCCCLXXXIII.
Corpus eius ad templum Vaticanum solio porphyretico conditum.

Concilium in Urbe actum adversus simoniacos. Giseleri pontificis magdeburgensis caussa cognita: Amatus pontifex Salernitanor. archiepiscopus appellatus est.

Benedictus anno VIIII. pontif. sui mort. est. In e. l.
f. e. Ioannes XIIII., qui octavo post mense, Boni- DCCCCLXXXIIII.
facii factione dominante, in arcem coniectus veneno interiit.

Bonifacium repentina mors sustulit: et qui suffectus erat Ioannes Roberti f., nec consecratus quarto post mense reiectus est.

Ioannes XV. consensu omnium ordinum Pont. Max. DCCCCLXXXV.
f. e.. Hoc Pontifice Urbs in Crescentii consulis designati dominatu esse coepit: Ioannes solum vertere
coactus in Etruriam profugit: regis Othonis III. opem DCCCCLXXXVII.
imploravit.

Crescentius oratores ad Ioannem misit, qui eum in Urbem cum honore reducerent: ipse et senatus reducem venerati sunt.

Theophana Aug. regis Othonis mater Romam venit, et DCCCCLXXXVIIII.
adventu suo res Italiae composuit. Ea Ioannem Calabrum pont. Placentinor. creatum, ex auctoritate Pont. Max. archiepiscopum dicendum curavit.

Concilium bis actum: primo ad tuendum Adalbertum DCCCCLXXXXIII.
pont. Pragensium: iterum ut sancto viro Uldarico pont. Augustanor. caelestes honores decernerentur.

Arnolfus pont. Remorum a Ioanne in pristinam honoris
sui sedem per legatum restitutus: remoti a sacris DCCCCLXXXXV.
qui in eum sententiam dixerant.

Ioannes anno XI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Gregorius V., quem rex Otho Ravenna in Urbem DCCCCLXXXXVI.
missum populo romano commendarat.

Concilium a Gregorio vocatum, ut bona Helvino pont. Cameracensium erepta iudicio suscepto redderentur.

Gregorius regi Othoni insignia imperî dedit et Augustum appellavit. Otho Aug. de seditiosis cognovit: Crescentium iam exsilii damnatum Gregorii precibus poena liberavit.

Crescentius violato iureiurando Gregorium Urbe exegit: DCCCCLXXXXVII.

et Ioanne archiepiscop. Placentinorum in e. l. creato, Augustos Orientis sibi patronos adscivit.

Gregorius concilio Ticinum vocato Crescentium a sacris removit: legati quos Romam misit in carcerem coniecti sunt.

Otho Aug. Gregorium in Urbem cum exercitu reduxit.
Ioannes in fuga captus, oculisq. effossis et naribus DCCCCLXXXXVIII·
ac lingua decisis carcere inclusus est. Crescentius in arce cum duodecim coniuratis comprehensus et capitis damnatus.

Concilium actum, ut incestum regis Roberti matrimonium dissolveretur: exclusi a sacris qui earum nuptiarum auctores fuerant.

Gregorius anno III. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Silvester II., cui Otho Aug. favebat. DCCCCLXXXXVIIII·

Silvester Urbiventum profectus rem pub. latis legibus M·
ordinavit. Inde Caesenam accessit et oppidum obsidione clausit.

SAECULUM xI.

Aedes Adalberti in insula Tiberina ab Othone Aug. MI·
condita. Concilium vocatum ob controversias inter Bernardum pont. Hildesiens. et Villigisum archiepiscop. magontiac., eiusque rei caussa Fridericus Card. in Germaniam legatus.

Tumultus Tibure adversus populum roman. fuit. Otho Aug. oppidum obsideri iussit: idem Silvestri obsecratione placatus militem a caede cohibuit.

Otho Aug. urbanis rebus compositis Tuder Silvestro itineris comite accessit. Concilium eodem a Silvestro coactum, et Bernardi legatio adversus Villigisum audita.

Concilium in Urbe iterum a Silvestro actum, ut iura MII·
coenobii perusini et Conradi pontificis ditio caussa cognita definirentur.

Silvester anno V. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MIII·
Ioannes XVI., quem mense sexto pontif. sui mors intercepit. Huic suffectus est Ioannes XVII..

Populus romanus gravi pestilentia conflictatus est. Sara-
ceni mare infestum habuere. MIIII·

Bamberga ex Ioannis auctoritate throni pontificalis

honore honestata, et a rege Henrico Pontifici Maximo adtributa est.

Ioannes anno VI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Sergius IIII.. Per ea tempora monachi Romualdo auctore ad pristinos mores revocati: multa per Italiam coenobia restituta aut condita.

Sergius anno III. pontificatus sui mortuus est. In e. l.
f. e. Benedictus VIII.. Huic factio seditiosorum Gre- MXII.
gorium opposuit.

Benedictus Urbe discordiis flagrante in Germaniam ad regem Henricum confugit.

Rex Henricus in Italiam venit, et Arnaldum fratrem Ravennatibus pontif. dedit, qui a Benedicto in Urbe consecratus est. Idem regi et Cunegondae uxsori insignia imperii sollemni ritu in templo Vaticano imposuit.

Benedictus comparata classe Saracenos ad portum Lu-
nensem ingenti praelio delevit. Legatos Pisas misit, MXIII.
uti iuncto foedere Sardiniam barbaris eriperet. Saraceni Sardinia eiecti, eaque insula Pisanis a Benedicto
adtributa. MXV.

Benedictus Bambergam ad Henricum Aug. perrexit, et
aedem Stephani protomart. sollemni ritu dedicavit. MXVI.
Imperatorem Aug. ad tutelam Italiae contra Graecos hortatus est.

Henricus Aug. exercitum in Italiam duxit, et novum Apuliae oppidum Troiam ad deditionem impulit: Neapolim et finitimas urbes recepit: Normannis sedes dedit. Inde Casinum cum Benedicto profectus est.

Benedictus anno XII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MXXVI.
Ioannes XVIII. decessoris frater.

Aldericus pont. vercellens. Bononio patri monachorum lucediens. caelestes honores ex auctoritate Ioannis decrevit.

Rex Conradus regno Italiae potitus Romam venit, et MXXVII.
insignia imperii cum Gisela coniuge a Ioanne accepit, regesq. duo Augustis adstitere Canutus et Rodulfus.

Concilium vocatum ob controversias de honoris gradu, decretumque ut pontifex Ravennatium a pontifice mediolanens. secundus esset.

Ioannes anno X. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MXXXIII.

Benedictus VIIII. Alberici patris studio, quum puer esset.

Conrado Aug. Cremonae degente, Benedictus eo perrexit salutandi caussa. Imperat. ut civiles motus componeret in Urbem venit. Eribertus pont. Mediolanensium MXXXVIII. ob coniurationem in Augustum a sacris remotus est.

Concilium in Urbe adversus pontificem Aquileiensium ob incursionem in fines gradenses factam : ius eidem MXXXXIIII. ereptum, quod in pontificem Gradensium per fraudem impetrarat.

Proceres romani Benedictum ob probra perosi Urbe exegerunt, eiusq. loco Ioannem pontif. Sabinor. crearunt.

Benedictus tertio post mense receptus se pontificatu abdicavit, et monachum exinde egit. In e. l. f. e. MXXXXV. Gregorius VI.. Huius opera furum manus a templis prohibitae, et latrociniis sublatis itinera commeantibus explicata.

Gregorius rege Henrico auctore concilium episcopor. Sutrium vocavit, et pontificatu sponte abiit. In e. l. MXXXXVI. f. e. Clemens II., qui primo honoris sui die insignia imperî Henrico II. Aug. et Hagnae uxsori dedit.

Concilium in Urbe fuit ad controversias pontificum maiorum Italiae dirimendas. MXXXXVII.

Clemens mense VIIII. pontif. sui in agro pisaurensi mort. est. In e. l. rediit Benedictus VIIII. tenuitq. pontificatum mensibus VIIII., donicum Damasus II. Henrici Aug. iussu consecratus est, quem XX. post MXXXXVIII. die mors intercepit. In e. l. f. e. Leo VIIII., quem Henricus II. Aug. invitum e Germania in Urbem miserat.

Concilium a Leone Romae actum adversus simoniacos: exinde Ticini alterum disciplinae veteris restituendae caussa. Idem in Germaniam ad Aug. profectus res bello turbatas composuit. Concilium Remos ob veteres MXXXXVIIII. mores revocandos, Magontiacum adversus simoniacos vocavit.

Leo in urbem reversus re publica ordinata in Apuliam perrexit, et concilio Sipontum coacto archiepisc. bi- ML. nos, quod labe simoniaca insignes essent, gradu honor. movit.

Concilium in urbe iterum actum contra Berengarium

auctorem rerum novarum: scripta eius damnata sunt. Inde Leo Vercellas petiit, et concilio rursum vocato Berengarii simul et Erigenae Scoti libros damnavit: Unfredo pontifici Ravennatium sacris interdixit. Idem Tullum Leucorum sedem honoris sui primam revisit, ut sacros cineres Gerardi pontificis ritu sollemni in monumentum novum transferret.

Concilium a Leone in Urbem tertio vocatum adversus Simoniacos. Gregorius pontifex Vercellensium adulterii MLI.
accusatus a sacris remotus est. Exinde Leo Sublaqueum profectus Umbertum monachis praesidem imposuit: diplomata quae ibidem conficta deprehendit coram incendi iussit. Tum in Campaniam et Samnium perrexit, ut incursiones Normannor. averteret, eiusq. rei ergo opem a Constantino Aug. imploravit.

Bello inter Henricum Aug. et regem Pannoniae Andream exorto, Leo in Germaniam rediit et pacis auctor con- MLII.
troversias auctoritate diremit. Coenobium Fuldense et urbs Beneventum Leoni adtributa: ipse Bambergam Augusto condonavit.

Concilium a Leone Mantuam vocatum et ob seditiones dimissum. Inde Venetias venit et templum Marci in- MLIII.
visit. In Urbem regressus concilium quarto coegit: Berengarius damnatus: iura pontificum aquileiensis et gradensis definita: caelestes honores Gerardo pont. Tullensium decreti.

Exercitu a Leone adversus Normannos comparato, pugna in Apulia commissa infausto exitu: Leo captus a Normannis Beneventum cum honore deduct. emissusq. est.

Legati a Leone Constantinopolim missi adversus Michaelem Cerularium, qui graecos pontifices in officio con- MLIIII.
cordiaque retinerent.

Leo anno VI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Victor II.. Concilium ab eo Florentiam vocatum adversus Berengarium. Simoniaci damnati, quique eos coerceret MLV.
Ildebrandus in Gallias legatus. Cautum ne bona Ecclesiarum alienarentur.

Victor in Urbem reversus, quum ei sacrum facienti ve- MLVI.
nenum calice propinatum esset, fraudem divinitus detexit.

Iter a Victore in Germaniam susceptum est Henrici Aug. caussa, cui et adfuit morienti. Henricus Aug. F. rex Germaniae opera eius iterum appellatus est. Germania pacata in Urbem rediit, vocatoq. concilio pontificem Marsorum, quibus bini praeesse coeperant, unum esse iussit. MLVII.

Victor Florentiam progressus ibidem anno III. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Stephanus X.. Concilium ab eo in Urbe actum disciplinae veteris restituendae caussa: contubernia clericorum poenis irrogatis sublata.

Stephanus Casinum profectus avaritiam monachorum coercuit, coenobiique praefecturam Desiderio detulit.
Eundem Constantinopolim tertium e legatis destinavit MLVIII.
graecorum reconciliandorum caussa.

Stephanus mense VIII. pontif. sui mort. est Florentiae.
In e. l. Gregorius Alberici F. Comes Tusculanus Ioan- MLVIIII.
nem pontif. Veliternorum per vim creandum curavit.

Concilium Senis coactum Pontificis Maximi rite legendi caussa Nicolaum II. designavit. Is Sutrium quum venisset et concilium vocasset, nunciatum est, Ioannem sponte se pontificatu abdicasse. Inde Urbem effuso obviam populo romano ingressus est.

Concilium in Laterano actum, ut Pontificis Maximi creandi ratio praescriberetur. Berengarius ob poenitentiam receptus: simoniaci notati: leges in sacerdotum contubernia latae.

Legati a Normannis venere, qui Nicolaum in Apuliam invitabant. Ipse eo profectus concilium Melphim vocavit adversus contubernia sacerdotum. Normannos foedere sibi devinxit et vectigales fecit, Apulia, Bruttiis, Sicilia duci Roberto Guiscardo adtributis, Capua cum adiectis Campaniae oppidis duci Riccardo adsignata.

Nicolaus Petrum Damiani fratrem et Anselmum badagiensem legatos morum corrigendorum caussa Mediolanum misit. Ipse Florentiam sedem honoris sui primam, inde Casinum profectus Oderisium cardinal. fecit, pontificem-
que Aquinatium honore abire iussit, Martino monacho MLX.
in e. l. suffecto. Florentiam reversus anno III. pontif.
sui mortuus est. In e. l. f. e. Alexander II.. Huic MLXI.
transpadana seditiosorum factio Cadaloum pontificem Parmensium opposuit.

Cadalous exercitu confecto Urbem accessit, et militum manum pro Alexandro pugnantem fudit. Ipse Goti- MLXII.
fredi ducis Etruscorum auxiliaribus copiis fugatus est. Bello renovato, templum Vaticanum occupavit: in arcem a factione receptus, obsidionem biennio tolerare coactus est.

Concilium ab Alexandro indictum adversus simoniacos: damnati sacerdotes, qui feminas contubernales alebant. MLXIII.

Hagne Aug. Romam e Germania venit, ut ex praescripto Alexandri privatam in Urbe vitam sancte transigeret.

Legati ab Alexandro ad Rogerium comitem Normannorum missi, qui ob victoriam de Saracenis in Sicilia partam gratularentur, et ipsum ob merita vexillo donarent.

Alexander Lucam sedem honoris sui primam invisit, collegioque canonicorum insignia pontificalia tribuit. MLXIIII.

Riccardus dux Campanorum violato iureiurando incursionem in fines romanos fecit.

Guido pontif. Mediolanensium, quod simoniacus haberetur et contubernia sacerdotum ferret, Alexandri sententia a sacris remotus est.

Alexander concilium Mantuam vocavit adversus Cada- MLXVII.
loum et fautores eius. Concordia constituta, Mediolanum petiit patriam suam seditionum placandarum caussa. Inde Capuam profectus Riccardum ducem in officium redegit.

Petrus Damiani frater ab Alexandro in Germaniam le- MLXVIIII.
gatus, ut regem Henricum a Bertae uxsoris repudio deterreret.

Concilium in Urbe actum, ut de Attonis pontif. mediol. creatione caussa ageretur. Reiectus Gotifredus, Atto MLXXII.
probatus est.

Alexander anno XII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Gregorius VII., quem invitum et recusantem rex Hen- MLXXIII.
ricus adsensu etiam suo confirmavit.

Gregorius Capuam et Beneventum adiit, atque a ducibus Riccardo et Landolfo iusiurandam exegit, se in Pontif. Maximi potestate futuros.

Hagne Aug. in Germaniam a Gregorio cum legatis missa ad regem Henricum, ut ad meliorem is frugem re- MLXXIIII.
vocaretur.

Gregorius concilio indicto simoniacos et clericos qui in contubernio viverent a sacris removit: item Robertum Guiscardum, quod iurisiurandi oblitus imperium detrectaret. Tum graves litteras ad regem Galliar. Philippum misit, ut eum de officio admoneret.

Concilium iterum in urbem vocatum, ut sacri honoris deferendi ratio praescriberetur: vetitum ne reges pon- MLXXV. tificatus sacrasve praefecturas traditis insignibus darent: item superioris concilii acta confirmata.

Gregorius die natali D. N. Iesu quum sacrum sollemne in templo Liber. faceret, de altari per vim raptus in turrem Cincianam coniectus est. Conclamatum ad arma: Cincius Gregorium illico emisit, et fuga arrepta domum et bona populo compilanda reliquit.

Concilio in Lateranum coacto quum Gregorius pro tribunali sederet, Rolandus ab rege Henrico legatus in MLXXVI. medium progressus abire eum pontificatu insigniaq. coram deponere iussit. Quum iam legatus comprehenderetur, Gregorius Praefectum Urbis quominus vim inferret cohibuit. Actum de regis scelere, placuitq. ut Henricus a sacris remotus regni expers haberetur, stipendiariique eius obligatione fidei solverentur.

Gregorius itinere in Germaniam suscepto quum Vercellas pervenisset, nunciis adlatis regem adventare, sti- MLXXVII. patus cohortibus Matildae comitis Canossam recessit. Ibi rex Henricus insignibus regalibus positis, post III. dierum ieiunium rite ad sacra receptus est.

Concilium Romae actum, ut legationes Henrici et Ridolfi de regno contendentium audirentur: auctoribus MLXXVIII. seditionum sacra interdicta sunt.

Desiderio cardinali auctore foedus inter Gregorium et Robertum Guiscardum Aquini renovatum est.

Concilium Romam vocatum adversus Nicephorum botoniatem, isque a sacris exclusus quod in regnum Michaelis et Constantini Augg. invasisset. Poenae iis irrogatae qui superiorum conciliorum decreta contemnerent.

Concilium indictum Berengarii caussa, ut is errore de- MLXXVIIII. pulso veritatem catholicae professionis amplexus ad sacra reciperetur. Pontifices qui Henrico haeserant in alienorum numero habiti.

Concilium actum, ut Ridolfus Henrici loco rex Germaniae appellaretur: eiq. corona aurea a Gregorio dono MLXXX. missa.

Henricus coactis ad concilium factionis suae episcopis, Guibertum pontificem Ravennatium, Gregorio reiecto, Pont. Max. dicendum curavit.

Nuncii tristes a Germania venere, regem Ridolfum vulnere in pugna accepto occubuisse. Et ab Gallia Transpadana nunciatum, Matildae exercitum in agro mantuano ab Henricianis fusum esse.

Henricus exercitu in Italiam ducto, Urbem obsidione ter cinxit. Lue per aestatem premente bis abire coactus, MLXXXI. Guibertum, quem pro Pontifice Max. habebat, Tibure militibus imperitare iussit.

Concilium a Gregorio vocatum adversus Henricum et pontifices, qui sectam eius sequuti erant. Sententia in omnes iterum dicta, ne quis sacra cum iis communia haberet.

Factio seditiosor. Henricum porta Caelimontana receptum in Lateranum deduxit: Gregorius in arcem con- MLXXXIIII. fugit. Eius loco Guibertus consecratus est, et Clemens III. appellatus. Ab hoc Henricus insignia imperî accepit.

Robertus Guiscardus magnis copiis ad Urbem accessit: Henricus cum Guiberto fugam maturavit: Urbs in eo tumultu magnam partem incensa est: templa et tecta passim eversa aut direpta.

Gregorius in Lateranum reductus concilium coegit, et Henrico Guibertoq. damnatis Casinum petiit. Inde Salernum, ibiq. anno XII. pontif. sui mort. est. In MLXXXV. e. l. f. e. Victor III., qui diu honorem aversatus concilio Capuam vocato pontificatum tandem invitus accepit. Inde Romam deductus, Guiberto exacto in MLXXXVII. templo Vaticano consecratus est.

Matilda colloquii caussa ad Victorem venit, eiusq opera arx recepta Guibertiq. praesidia deiecta sunt.

Turbatum rursus in Urbe ob studia partium. Victor Casinum, deinde Beneventum concessit. Concilium eo vocatum adversus Guibertum: damnati qui sacri honoris insignia a profanis accepissent.

Victor mense V. pontif. sui mort. est. In e. l. concilio MLXXXVII.

Tarracinam coacto f. e. Urbanus II., quem populus romanus Guiberto pulso laetus excepit.

Concilium ab Urbano Romae actum, ut sanctiones Gregorii VII. et Victoris III. legum sacrandarum numero haberentur. Idem in Apuliam profectus concilium iterum Melphim vocavit, ut discordiis privatorum hominum tollendis dies pacales constitueret. Ibidem Rogerius dux Apuliae fidem Urbano suam iureiurando obligavit, se in eius potestate futurum.

Urbanus Beneventum digressus concilium coegit disciplinae veteris revocandae caussa. Rursum Guibertina factio cum duce damnata. MLXXXXI.

Seditio in Urbe fuit: Guibertus revocatus est: factio eius arcem praesidio occupavit.

Urbanus in Latium secessit, et Anagniae rogatu Ma- MLXXXXII.
tildae Deibertum pontificem Pisanorum archiepiscopum dixit. Romam reversus Lateranum pecunia custodibus erogata recepit. Inde optimatibus in fide sua confirmatis Placentiam perrexit.

Concilium Placentiam vocatum adversus morum perversitatem et repudia regum. Auctores rerum novarum notati: auditae legationes Alexii Comneni Aug.: bellum in Turcas primum indictum.

Urbanus Cremonam progressus a rege Conrado Henrici F. honorificentissime acceptus est. Inde in Gallias profectus concilium Augustonemetum in fines Arvenor. vocavit: actum de Hierosolymis liberandis. Multi mortales ad id bellum crucis insigni sumpto nomen dederunt.

Concilium ab Urbano bis actum Caesaroduni et Nemausi MLXXXXVI.
disciplinae veteris revocandae caussa. Rex Philippus ob poenitentiam in sacrorum communionem receptus.

Urbanus in Italiam regressus, Lucae exercitum Hugonis Magni in Palaestinam proficiscentem fausta precatione lustravit. Inde Romam Guiberto iam ab Hugonis militibus pulso reversus est.

Urbanus re publica ordinata Capuam perrexit, ut Nor- MLXXXXVIII.
mannos Campanis placaret et obsidionem solveret. Ibi Anselmum pontif. Cantuariens. Britanniae extorrem magno honore accepit. Salernum profectus, Rogerium comitem legatum Pontificis Maximi per Siciliam dixit.

Concilium ab Urbano Barium vocatum est ad Graecor. dissidia tollenda. Anselmus multa graviter adversus novam eorum doctrinam disseruit.

Urbanus Romam reversus arcem recepit. Concilio indicto decreta superiorum conciliorum confirmavit: actum de copiis auxiliaribus in Palaestinam submittendis. Hoc anno idibus iuliis Hierosolyma ab exercitu christiano capta sunt. MLXXXXVIIII.

Urbanus anno XII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Paschalis II.. Hoc Pontif. Guibertus e finibus romanis pulsus est, qui paullo post repentina occubuit morte. Eidem a factione Albertus, subinde Theodoricus suffectus est. MC.

SAECULUM XII.

Concilium in Laterano actum ad superiorum conciliorum auctoritatem tuendam. Pontifex Campanorum sacrilegii delatus honoris gradu motus est. Henrico ob pertinax dissidium rursus sacris interdictum. MCII.

Bernardus card. a Paschali Canossam legatus, Matildem comitem convenit tabulasque ab ea testamentarias accepit, quibus Pontifices Maximos patrimonii sui heredes instituit.

Legati ab rege Henrico Henrici F., qui Paschalem de studio suo et voluntate edocerent. Bernardus card. a factione henriciana Parmae in templo captus, Matildae adventu liberatus est. MCIIII.

Concilium in Laterano iterum actum contra eos, qui sacri honoris insignia apud Britannos a profanis acceperant. Crisolaus pont. Mediol. adversus Liprandi accusationes defensus, et in pristinum gradum restitutus est.

Turbatum in Urbe Stephano Corsio auctore: castellum ad Paulli via Ostiensi quod ille occuparat vi captum est. MCV.

Paschalis in Etruriam abiit, et concilio Florentiam coacto Fluentii caussam cognovit. Inde Lucam a Matilda invitatus perrexit, et canonicor. Fredianensium iura vitae ratione commendata firmavit.

Henricus de admissis dolens, vix dum legatis Romam proficisci iussis qui Paschalem sibi reconciliarent, Leodici mortuus est. MCVI.

Guiberti sepulcrum Ravennae Paschalis iussu eversum, ossaq. eius in profluentem abiecta. At in Urbe opera publica impensa eiusdem restitui coepta, aedesque sacrae quindecim refectae sunt.

Paschali Beneventum profecto, Guarnierus dux factionis henricianae milite in urbem immisso Maginolfum Pontificem Maximum dicere ausus est. Paschalis in Urbem reversus praedonem intra biduum Roma exegit.

Paschalis Urbe pacata in regionem padanam perrexit, et concilium Guastallam vocavit. Ibi regis Henrici V. legationes auditae: Pontificis Ravennat. iura circumcisa: honoris sacri deferendi potestas profanis adempta: Bernardus card. Parmensibus pont. datus est.

Paschalis per Allobrogum fines in Gallias progressus, concilium Augustam Tricassinor. vocavit disciplinae MCVII.
veteris restituendae caussa. Eo legatos rex Henricus praemisit, per quos apud Pontificem Maximum ius sibi honores sacros deferendi adsereretur.

Concilium a Paschali actum Beneventi adversus clericos, qui honorem sacrum a profanis delatum accepissent MCVIII.
accepturive essent: poena utrisque proposita, ut sacrorum communione carerent. Improbatus item sacerdotum cultus amoenior, colique omnes sancte potius quam scite iussi.

Paschalis Romam reversus licentiam civium coercuit, et patrimonia Ecclesiae per vim erepta armis recepit. Con- MCX.
cilium tertio in Lateranum vocavit, ut vetera decreta sancirentur. Nunciis de regis Henrici adventu prolatis, in Campaniam profectus principes Normannorum ad colloquium invitavit foederis renovandi caussa.

Rex Henricus Urbem ingressus Paschalem, quod insignia imperî nisi iure decederet ei se daturum negabat, violata fide comprehendi iussit. Tumultus inde ortus, et ingens civium et militum caedes. Henricus Pont. Maximum in Sabinos captivum duxit.

Paschalis periculi a suis propulsandi caussa professus vi se adactum, hac conditione ius Henrico deferendi sacros honores remisit, ut pecuniam eius rei ergo nullam caperet: eiq. insignia imperî sollemni ritu in templo Vaticano dedit. Protinus Tarracinam populi rumoribus offensus migravit.

Populus romanus Paschalem legatione missa in Urbem MCXII·
revocavit. Concilio in Lateranum vocato, acta Pa-
schalis ipso auctore rescissa: facinoris poena ob pro-
missi fidem Henrico Aug. condonata est.

Paschalis itinere in Apuliam suscepto concilium Ciperani MCXIIII·
egit: Gulielmi ducis imperium in Apuliam, Bruttios,
Siciliam conceptis verbis firmavit: Landolfum pontif.
beneventan. ob coniurationem gradu movit. Inde
Troiam Appulam perrexit, ut concilio iterum indicto
pacales dies constitueret. Eo anno Matilda comes MCXV·
mortua est.

Concilium quinto coactum in Lateranum, ut concilii su-
perioris acta firmarentur. Exinde Paschalis, seditione MCXVI·
ob praefecturam Urbis a competitoribus conflata, Se-
tiam concessit, et de adventu Henrici Aug. certior
factus Beneventum perrexit.

Henricus Aug. primoribus Urbis sibi conciliatis, insignia
imperî a Mauritio Burdino legato Pontificis Maximi
iterum accepit. Paschalis re cognita, legatum concilio
Beneventi acto damnavit et honoris gradu deiecit. MCXVII·
Romam postea cum magna manu reversus, hostes e
Vaticano pellere conatus est.

Paschalis anno XVIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f.
e. Gelasius II.. Hunc factio henriciana vix dum desi- MCXVIII·
gnatum inruptione facta cepit et in custodiam conie-
cit, donicum populo postulante emittere coacta est.

Gelasius Henrico Aug. adventante Caietam confugit. Hic
Romae Mauritium Gelasii loco Pontif. Maximum crean-
dum curavit. Gelasius Capuam profectus, cardinalib.
vocatis Henricum Aug. et Mauritium a sacris removit.
Inde Romam reversus, quum nihil usquam tutum vi-
deretur, Pisas navigavit, Genuam adiit, in Gallias
perrexit.

Gelasius multarum Urbium legationibus auditis, et con-
cilio Remos indicto, quum ad coenobium cluniacense
accessisset, anno I. pontificatus sui mort. est. Patres MCXVIIII·
cardinal. qui eum sequuti fuerant, Callistum II. suc-
cessorem designarunt, iudiciumq. eorum qui Romae
erant communi consensu comprobaverunt.

Callistus concilio Tolosae et Remis acto in Italiam ve-
nit, et templo maximo Pisis dedicato, Urbem Mauritii MCXX·

fuga pacatam adventu suo confirmavit. Inde Beneven-
tum adiit, Apuliam obivit.

Sutrini ob Mauritium receptum ab Romanis obsessi op- MCXXI.
pugnatique, deditione eius se et patriam redemerunt.
Exercitus Urbem repetens Mauritium camelo aversum
imposuit. et populo ostensum in custodiam coniecit.

Henricus Aug. legatis ad Callistum missis concordiae
constituendae caussa veterem morem reduci passus MCXXII.
est, ut sacri honores comitiorum auctoritate manda-
rentur.

Concilium magnum in Lateranum vocatum est pacis fir-
mandae et disciplinae veteris restituendae caussa. MCXXIII.
Actum de Pisanorum et Genuensium controversiis,
datumque pontificibus Corsorum ne in archiepiscopi
Pisarum ditione censerentur.

Aedes Nicolai a Callisto condita ad Lateranum: aliae
passim refectae, ornatae: aqua in Urbem inducta.
Turres Cincii et Bonae propugnacula seditiosorum
eversae.

Callistus anno VI. pontif. sui mort. est. In e. l. Te- MCXXIIII.
baldus et Lambertus a sua quisque factione designati:
Tebaldo se abdicante, Lambertus rite receptus et Ho-
norius II. appellatus est.

Nuncii e Germania venere, Henricum Aug. mort. esse, MCXXV.
actoq. conventu regnum a primoribus Lothario de-
latum.

Honorius Beneventum et Troiam Appulam profectus,
Rogerium comitem Siciliae Apuliam provinciam sibi
vindicantem in officio continere conatus est. Hostem MCXXVII.
bello expertus ad consilia pacis adduxit, et Apuliam
ei Bruttiosque veteri lege adtribuit.

Rex Lotharius legatos ad Honorium misit adversus
Conradum in Italiae regnum irruentem: Conradus
reiectus et a sacris remotus est. Petrus card. titulo MCXXVIIII.
Anastasia Ravennam legatus, ut pontifices Aquileien-
sium et Gradensium quod dissidii fautores fuerant
loco moveret.

Honorius anno VI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Innocentius II.. Huic factio seditiosorum Anacletum MCXXX.
opposuit, qui templo Vaticano compilato privatoq. pa-
trimonio effuso milites scripsit et fautores suos ditavit.

Innocentius a caede abhorrens, Ecclesia pontifici Sabinorum commendata, iter maritimum suscepit, et Pisis Genuaque lustratis in Gallias se recepit.

Anacletus pontificem Mediolanensium sibi conciliavit: Rogerium ducem, legato in Siciliam qui regalia insignia imponeret, regem dixit. Idem Romae aedem Laurentii et Lucinae refecit ac dedicavit. Eodem tempore aedes sessoriana cum coenobio a Gerardo card. restituta est. MCXXXI.

Concilium ab Innocentio Augustonemeti actum, item Carnuti et Remis dissidii tollendi caussa. Anacletus et fautores eius a sacris remoti. Regum et civitatum studia in Innocentium conversa. MCXXXII.

Innocentius in Italiam regressus concilium Placentiam vocavit. Inde Pisas venit, et Pisanorum ac Genuens. controversiis compositis, rege Lothario stipante ad Urbem accessit. Anacletus arce se et militibus sepsit. MCXXXIII.

Civitas effusa obviam Innocentium in Lateranum deduxit. Rex Lotharius insignia imperî ab Innocentio tulit: urbes etiam quae Matildae fuerant, lege vectigali regendas accepit. MCXXXIIII.

Innocentius Pisas reversus concilio vocato sententiam in Anacletum dixit: pontifices dissidii tenaces gradu movit: Bernardum patrem monachor. ad Mediolanenses legavit. MCXXXV.

Lotharius Aug. exercitu in Italiam ducto regionem padanam armis aut auctoritate pacavit, Apuliam et Campaniam Innocentio parere coegit. Rainolfus utroque auctore (dux) creatus est. MCXXXVII.

Innocentius Praeneste recepto in Urbem rediit. Lotharium Aug. in Germaniam proficiscentem mors intercepit. Rogerî exercitus in Apulia a Rainolfo caesus apud Ragnanum castraque capta sunt. MCXXXVIII.

Anacletus diem obiit supremnm. Huic factio seditiosor. Gregorium suffecit et Victorem IIII. appellavit. Bernardo auctore, Victor insignibus positis Innocentium adoravit. Itaque civitas seditionibus ac discordiis perfuncta, pax orbi christiano reddita est.

Concilium magnum ab Innocentio in Lateranum indictum MCXXXVIIII. ad libidinis et avaritiae licentiam coercendam. Arnoldus brixianus auctor rerum novarum damnatus: acta Anacleti rescissa: item sancitum ut a sacris remotus

haberetur, si quis clericum monachumve sciens volensque violasset.

Aedes Mariae Transtiberinae opere musivo ab Innocentio exornata: aedes Anastasii ad aquas Salvias coenobio aucta: et in templo Paulli via Ostiensi cella maxima communita est: item in Laterano templum sublaqueatum, et domus pontificalis prolata atque exculta.

Rogerius audito Rainolfum ducem occubuisse, Apuliam rursum invasit. Innocentius Casinum cum exercitu profectus, ut de pace ageret: quum re infecta in tutum praesidium migraret, a Normannis captus est.

Innocentio honor habitus emissusque cum suis ea conditione, uti Rogerium regem appellaret, Rogerioque Rogerî F. Apuliam et Campaniam veteri lege adtribueret.

Tibur ab Romanis obsessum: obsessi cladem oppugnan-
tibus intulere. Renovato bello Tiburtes se in ditionem MCXXXXI.
et arbitratum Innocentii dediderunt. Romani, quod
mitior in eos fuisset, seditione in Urbe facta senatum MCXXXXIII.
legerunt, cuius arbitrio res gererentur.

Innocentius anno XIIII. pontif. sui mort. est. In e. l.
f. e. Caelestinus II., quem sexto post mense mors in- MCXXXXIIII.
tercepit. In e. l. f. e. Lucius II.. Huius congressum
rex Rogerius per legatos petiit, in eiusdem se potestate esse professus.

Veneti Pisanique bellum invicem infestis classibus inferentes, Lucii auctoritate in concordiam rediere.

Lucius mense XII. pont. sui mort. est. In e. l. f. e.
Eugenius III., qui ob urbanas dissensiones in coe- MCXXXXV.
nobio farfensi consecratus, Viterbium se recepit.

Factio senatus Arnoldo concitatore desaevit: praefectura Urbis abolita: cives apud principem senatus sacramentum dicere iussi.

Eugenius legationibus frustratus Iordanum a sacris removit. Dein exercitu comparato et copiis Tiburtium auxiliaribus aucto, senatum pacem petere coegit: principe senatus moto praefectoque restituto, senatum in Urbe esse passus est. Pace constituta in Gallias se contulit, et concilium Lutetiam Parisior. vocavit.

Bellum adversus Turcas et Saracenos Eugenio auctore MCXXXXVII

a Germanis Gallisque susceptum: multas Italia copias in Orientem submisit.

Concilium ab Eugenio Remis actum disciplinae veteris MCXXXXVIII·
restituendae caussa. Gilberti pontif. Pictaviens. scripta excussa damnataque.

Eugenius in Italiam reversus regis Rogerî copiis factionem senatus coercuit. Signia, Norba, Tarracina receptis, Urbem in suam potestatem redegit. MCLII·

Legati ab rege Federico Ahenobarbo ad Eugenium venere foederis renovandi caussa. Porticus templi Liberiani ab Eugenio restituta, et in Vaticano domus pontificalis ab inchoato exstructa.

Eugenius anno VIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Anastasius IIII.. Hoc Pontifice fames in Urbe fuit: MCLIII·
inopia plebis liberalitate eius levata est.

Domus pontificalis ad aedem rotundam in Campo Martio ab Anastasio condita.

Nuncii ab Sicilia adlati, rege Rogerio mortuo Gulielmum filium regnare. MCLIIII·

Anastasius anno II. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Hadrianus IIII.. Huic rex Gulielmus legatos misit honoris habendi et gratiae conciliandae caussa.

Hadrianus, quod ab Arnoldi factione pater card. titulo Pudentiana violatus vulneratusque esset, Urbem universam interdictione sacrorum punitus, pomoerio excessit.

Rex Gulielmus, quod incursionem in fines romanos fecisset, Hadriani sententia a sacris remotus est. MCLV·

Hadrianus, Urbi placatus quod cives Arnoldum in exsilium egissent, in Lateranum regressus sacerdotibus rursum sacris operandi ius fecit.

Rex Federicus rebus cum Hadriano compositis Urbem accessit, et in templo Vaticano insignia imperî sollemni ritu accepit. Seditio in Urbe et pugna inter cives et exercitum Aug. fuit.

Legati a rege Gulielmo ad Hadrianum de pace missi: MCLVI·
eaque primum repudiata, deinde Beneventi aequis conditionibus constituta, rex in potestate Pontificis Maximi se futurum spopondit.

Controversiae graves inter Federicum et Hadrianum de iure exortae: concordia legationibus male sarta. MCLVIII·

Hadrianus anno V. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Alexander III., cui Octavianus card. factione Aug.
fretus insignia deripuit, et se pro Pontifice Maximo MCLVIIII.
gessit Victor IIII. appellatus.

Alexander Urbe sospes egressus legatos Tarracina ad Augustum misit, qui reiecti sunt. Rex Gulielmus Alexandrum summo honore prosequutus est.

Federicus Aug. conventu Ticinum vocato de Pontificis
Maximi creatione cognovit, et Octavianum Alexandro MCLX.
praetulit. Ob eam rem Alexander sacro Anagniae sollemni ritu facto Federicum et Octavianum a sacrorum communione seclusit.

Gallia rege Ludovico, Britannia rege Henrico auctori- MCLXI.
bus, Alexandrum communi consensu Pontificem Maximum salutaverunt.

Alexander in Urbem reversus, aede Mariae Novae dedicata in Latium secessit, et Tarracina solvens regis Gulielmi triremibus Genuam navigavit. Inde in Gallias ad regem Ludovicum perrexit.

Concilium ab Alexandro Caesarodunum vocatum est
doctrinae veteris retinendae disciplinaeq. revocandae MCLXIII.
caussa. Octavianus et fautores eius damnati.

Octaviano Lucae demortuo, in eius locum Guido cre-
mensis a factione creatus Paschalis III. dictus est, MCLXIIII.
quem Federicus Aug. pro Pontifice Maximo habuit.

Alexander Siciliam appulsus regis Gulielmi triremibus MCLXV.
Romam vectus, et populo plaudente in Lateranum deductus est.

Legatus Constantinopoli a Comneno Aug. venit, qui MCLXVI.
cum Alexandro de Orientis et Occidentis concordia ageret, atq. imperium populi romani graecis Augg. deposceret: itaque ab Alexandro Constantinopolim missi, qui de re utraque cognoscerent.

Bellum Alexandro invito Tusculanis a populo romano
inlatum: Tusculani copiis Federici Aug. confirmati MCLXVII.
Romanos magna clade ceciderunt.

Urbe a Federico Aug. obsessa, Alexander Beneventum petiit et regis Gulielmi exercitu se tutatus est. At Paschalis a factione in Urbem receptus, Federico Aug. et Beatrici uxsori insignia imperî in templo Vaticano imposuit. Federicus Aug. lue exercitum depopulante finibus romanis abire coactus est.

Foedus inter civitates italicas ictum adversus Federi- MCLXVIII.
cum Aug., oppidumque e regione conditum et ab
Alexandro Pont. Max. Alexandria appellatum.

Paschalis in Vaticano obiit, cui factio Callistum III.
suffecit.

Federicus Aug. legatum de pace ad Alexandrum misit.
Is Verulis a Pontif. Maximo admissus, infecta legatione MCLXX.
in Germaniam rediit. Alexander Tusculum recepit.

Cardinales bini in Britanniam legati, qui de caede MCLXXI.
Thomae pontificis Cantuariensium cognoscerent.

Alexander concordiae in urbe constituendae caussa moe-
nia Tusculi a Romanis subrui passus est. Quod ii MCLXXII.
dein promissis non stetissent, Anagniam secessit,
Tusculum rursus muniendum curavit.

Thomae pontifici Cantuariensium caelestes martyrum MCLXXIII.
honores ab Alexandro Signiae decreti. Harduinus
hypodiac. Ecclesiae Romanae primus Alexandrinis
Italiae pontifex datus. MCLXXV.

Federicus Aug. ab italico exercitu victus fugatusque,
legatos iterum de pace ad Alexandrum misit: pax
Venetiis utroque praesente constituta est summa Ita- MCLXXVII.
liae laetitia. Concilium ab Alexandro in templo Marci
actum, poenaque indicta in eos qui pacem violassent,
ut a sacris exclusi haberentur.

Alexander legatione invitatus in Urbem magno honore MCLXXVIIII.
acceptus est. Callistus adversarius misericordiam eius
imploravit, cui tamen factio Innocentium III. suffecit.

Concilium magnum in Lateranum ab Alexandro voca-
tum disciplinae veteris restituendae caussa. Damnati
Albigenses: dissidium Ecclesiarum sublatum: reges
Britanniae et Galliarum litteris Alexandri ad bellum
saracenicum excitati.

Alexander anno XXII. pontif. sui mort. est. In e. MCLXXXI.
l. f. e. Lucius III., qui Velitris pontificatum cepit.

Tusculum a Romanis iterum tentatum: Lucii copiis MCLXXXIII.
repulsi agrum late vastaverunt.

Lucius in regionem padanam profectus templum maxi- MCLXXXIIII.
mum Mutinae dedicavit. Inde Veronam Federicum
Aug. convenit. Et concilio indicto haereticos doctri-
nam veterem pervertentes atque ipsos Romanos per-
duelles a sacris removit.

Lucius anno V. pontif. sui Veronae mort. est. Ibidem in eius l. f. e. Urbanus III., qui quum pontifex Mediolanensium esset, eo se pontificatu non abdicavit. MCLXXXV.

Pontifex Aquileiensium, quod Mediolani arbitrio suo Henricum Federici Aug. F. insignibus regni italici MCLXXXVI. delatis regem appellasset, ipse et qui adfuerant episcopi a sacris Urbani sententia abstinere iussi.

Litterae ab Urbano ad Federicum Aug. missae vehementes et graves, quod foedus violasset et pontificalem auctoritatem imminueret.

Rex Henricus incursionem in fines romanos fecit. Nuncii tristes ab Oriente adlati, rem christianam ob Saladini Babylonii inruptiones pessimo loco esse.

Urbanus anno II. pontif. sui Ferrariae mort. est. In e. MCLXXXVII. l. f. e. Gregorius VIII.. Supplicationes ab eo indictae placandi Numinis caussa. Christiani omnes ad Palaestinam bello vindicandam excitati.

Gregorius mense altero pontif. sui Pisis mort. est. Ibidem in e. l. f. e. Clemens III.. Legati ab eo ad Aug. et reges missi, ut nomini christiano adversus Saracenos auxilium ferrent. Pax inter eos firmata, magnoque apparatu expeditio suscepta est.

Clemens urbanis rebus per legatos compositis in Lateranum venit. Tusculum et Tibur senatui condonatum est.

Rege Gulielmo II. mortuo, regnum Siciliae Clementis MCLXXXVIIII. auctoritate Tancredo delatum est. Aedes Laurentii extra pomoerium ornata, et coenobium in proximo communitum. Plebs ad muros Urbis reficiendos praemiis invitata.

Clemens anno IIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MCLXXXXI. Caelestinus III., qui regi Henrico et Constantiae uxsori insignia imperî ritu sollemni dedit.

Tusculum ab Romanis eversum: cives extorres magalia sibi in agro struxerunt. Eodem anno rex Galliarum Philippus ex Oriente redux Caelestinum invisit.

Henricus Aug. Caelestini litteris impulsus exercitum in MCLXXXXVI. Palaestinam destinavit: at Siciliam antea bello aggressus, Messanae decessit.

Domus pontificales lateranensis et vaticana conclavibus additis a Caelestino ampliatae.

Caelestinus anno VII. pont. sui mort. est. In e. l. f. e. MCLXXXXVIII.
Innocentius III., quem Urbs dominum libens reverita est. Idem provincias ab exercitu germanico occupatas recepit.

Constantia Aug. supremo vitae suae die Federicum Rogerium filium quadrimum, quem pater regem Siciliae designarat, tutelae Innocentii commendavit.

Cohortes regi suppetias in Siciliam missae ab Innocentio adversus Marquardum ducem numerorum germanicorum sibi regnum parantem. MCC.

SAECULUM XIII.

Rex Otho IIII. Innocentii auctoritate regnum Germaniae sibi adseruit: Philippus qui cum eo de regno MCCI.
contendebat a sacris remotus est.

Exercitus christianus Venetiis in Orientem solvit. Huic ab Innocentio interdictum, ne christianis nisi expeditioni adversarentur bellum inferret: permissum ut MCCII.
Alexium Isaaci Angeli Aug. F. in regnum reduceret.

Constantinopolis Alexio a suis necato capta est. Graeci concordia cum Latinis inita Pontificem Maximum ve- MCCIII.
nerati sunt.

Rex Otho, conditionibus per legatos ex Innocentii voluntate constitutis, in Italiam cum exercitu venit, et regno Italiae potitus insignia imperî Romae in templo Vaticano accepit. Tumultus in Urbe fuit: MCCVIIII.
exercitus Aug. a Romanis caesus est.

Factiones Guelforum et Ghibellinorum exortae. Otho Aug., quod in fines romanos vi cum exercitu invasisset, et bellum Apuliae adversus regem Federicum MCCX.
inferret, Innocentii sententia a sacris remotus est.

Sodalib. Franciscalibus primum ab Innocentio datum, ut auctore Francisco Asisinate depravatis christianorum moribus reformandis operam Deo navarent.

Primores Germaniae regem Federicum e Sicilia evocatum Othoni Aug. opposuerunt: Otho in Germaniam regressus est. MCCXI.

Concilium magnum in Lateran. ab Innocentio vocatum MCCXV.
adversus haeresum pravitates: sacerdotibus vivendi leges praescriptae: actum de copiis auxiliaribus in Palaestinam mittendis.

Aedes Xysti ab Innocentio refecta: templi Vaticani altare maximum cum summa abside exornatum: domus hospitales binae in Coelio una, altera trans Tiberim conditae: turris ad Suburram exstructa.

Innocentius itinere in Etruriam suscepto ut Pisanos cum Genuensibus componeret, Perusiae anno XVIIII. MCCXVI.
pontific. sui mort. est. In e. l. f. e. Honorius III.. Huius auctoritate Dominicus Pater novum sodalium induxit Ordinem, qui degeneres christianos ad bonam frugem dicendo revocarent.

Petrus comes Antissiodorensium insignia imperii Orientis MCCXVII.
ab Honorio accepit. Pisani cum Genuensibus Ugolino card. conciliatore foedus amicitiamq. fecerunt.

Honorius ob civium dissensiones Viterbium secessit: MCCXVIIII.
legatos in regionem padanam misit, qui finitimarum civitatum odia irasq. restinguerent.

Rex Federicus dictis ab Honorio conditionibus Romam MCCXX.
ingressus, insignia imperii cum Constantia uxsore tulit, populumq. romanum Pontifici Maximo parere coegit.

Honorius Verulas progressus Federicum Aug. convenit, MCCXXII.
ut christianorum caussa opem in Oriente implorantium ad bellum in Saracenos suscipiendum impelleret.

Rex Ioannes ab Hierosolymis regni recuperandi caussa in Urbem venit. Ipse et Federicus Aug. Ferentini in Hernicis cum Honorio congressi de expeditione MCCXXIII.
egerunt.

Honorius ob turbas a Parentio senatore excitatas Tibur
concessit: inde Reate se contulit, et diem Federico MCCXXV.
Aug. definivit quo in Orientem solveret.

Honorio arbitro concordia inter Federicum Aug. et civitates italici regni constituta.

Honorius regi Ioanni regno Hierosolymorum extorri
Perusiam et finitima oppida administranda dedit. MCCXXVII.

Aedes Laurentii extra pomoerium ab Honorio restituta, porticu addita et coenobio refecto: idem coenobium Virginum cum aede Vivianae martyris reparavit: coenobium Martini ab inchoato exstruxit: aedem Vincentii et Anastasii peracta dedicatione aperuit.

Honorius anno XI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Gregorius VIIII.. Huius sententia Federicus Aug.,

quod expeditionem in Orientem die dicto non suscepisset, a sacris remotus est.

Seditio in Urbe auctore Federico Aug. fuit: Gregorius
fugam arripere coactus est. MCCXXVIII·

Federicus Aug. in Orientem profectus legatos a Gregorio missos, ut eum de officio admonitum ad veniam petendam hortarentur, reiecit.

Romani inruptionem in agrum viterbiensem fecerunt. Gregorius Asisium profectus caelestes honores Francisco Patri decrevit. Rinaldum legatum Federici Aug. regia potestate, quod in fines romanos hostiliter invasisset, a sacris removit.

Rex Ioannes Apuliam Gregorii iussu aggressus Urbes MCCXXVIIII·
complures coepit. Federicus Aug. Hierosolymis in
suam ditionem redactis rediit in Siciliam.

Tiberis exundatio in Urbe fuit: exinde lues. Legati a
senatu Perusiam ad Gregorium, qui eum in Urbem MCCXXX·
invitarent.

Federicus Aug. condicionibus quas Gregorius dixit acceptis poena exsolutus est: pax summa Italiae laetitia composita.

Edicta a Gregorio et Federico proposita adversus Mani- MCCXXXI·
chaeos non uno nomine renascentes. Antonius iunior
Spoleti a Gregorio sollemni ritu in caelitum sancto-
rum numero census est. MCCXXXII·

Legati Anagniam a Senatu profecti, qui Gregorio vota
publica ob eius adventum exponerent. Eo reduce res MCCXXXIII·
publica ordinata, dissensiones sublatae. Missi in Etruriam, qui Senenses cum Florentinis coniungerent: Patavium alii et Veronam, qui earum civitatum discordias tollerent.

Gregorius pronaon templi Vaticani opere musivo excoluit: domum pontificalem in Laterano area laxata produxit, nosocomium ingens adiecit: cloacas veteres repurgandas, novas substruendas curavit. Per idem tempus aedes Antonii senioris in Exquiliis cum nosocomio et coenobio ex testamento Petri Capocii card. exstructa.

Novus in Urbe tumultus: senatu dominante Gregorius MCCXXXIIII·
Reate petiit. Ibi Dominico Patri caelestes honores
decrevit.

Romani ad Viterbium ab oppidanis caesi. Ob eam cladem Sabini in Gregorii ditionem rediere.

Conventus Perusiam a Gregorio indictus. Legati ab italicis civitatibus convenere, ut belli a Federico Aug. impendentis molem averterent. MCCXXXV.

Gregorius legatos Mantuam misit, qui Federicum Aug. Italiam vastantem de violato foedere postularent: consilia pacis reiecta. Entius ab Augusto rex Sardiniae Gregorio contempto appellatus est. MCCXXXVII.

Viterbienses ob defectionem remoti a sacris. Veneti et Genuenses foedus adversus Federicum Aug. cum Gregorio fecerunt. MCCXXXVIII.

Federicus Aug., quod seditiones fovisset et legationibus reiectis ruptoque foedere bellum Italiae inferret, Gregorii sententia a sacris exclusus, stipendiariique eius sacramento soluti sunt. Item regi Entio sacris interdictum, quod exercitum in fines romanos egisset.

Supplicatio in Urbe ad omnia templa decreta, et sacrosancta capita Petri et Paulli Apostt. in pompa circumlata sunt. MCCXXXX.

Pontifices antistitesque omnium ordinum, qui Romam ad concilium veniebant, terra marique a Federico capti et in custodias coniecti: oppida complura quae Gregorio parebant obsessa oppugnataque. MCCXXXXI.

Gregorius anno XV. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Caelestinus IIII., qui XVIIII. die pontif. sui decessit. In huius l. Anagniae post annum et menses VIII diesque XVI. creatus est Innocentius IIII., qui legatos de pace primus ad Federicum Aug. misit, et Viterbio recepto in Urbem venit. Actum de pace in Laterano coram imp. Balduino Aug. et senatu populoque: Federicus condiciones reiecit. MCCXXXXIII.

Innocentius consiliis Federici detectis Genuam ad suos navigavit. Inde Lugdunum profectus concilium magnum indixit, eumq. ad caussam dicendam vocavit. MCCXXXXIIII.

Eccelinus tyrannus, quod nefario bello Italiam premeret iuraque humana ac divina perverteret, Innocentii sententia a sacris remotus est. MCCXXXXVIII.

Innocentius Lugduno Genuam venit: inde peragrata Insubria, Perusiam accessit. Legatos a rege Conrado, qui sibi regnum Siciliae petebat, re infecta dimisit. MCCLI.

Senator qui Urbi praeesset Brancaleo bononiensis a po- MCCLIII.
pulo creatus in triennium. Legati Perusiam ad Inno-
centium publice missi, qui reditum eius sollicitarent.

Innocentius Asisium adiit: exinde controversiis inter
Spoletinos et Interamnates diremptis, Romam ingres-
sus est. Sacro ad Vaticanum facto et concione habita,
quum exercitum ad regnum Siciliae vindicandum com- MCCLIIII.
parari iussisset, Anagniam perrexit.

Innocentius anno XII. pontif. sui Neapoli mort. est. In
e. l. f. e. Alexander IIII.. Huius iussu Octavianus
Ubaldinius card. exercitum adversus Manfredum in MCCLV.
Sicilia dominantem conscripsit, et Apuliam occupavit.
Alexander pacis constituendae spe frustratus Urbem
accessit.

Philippus pontifex Aquileiensium Alexandro auctore MCCLVI.
contra Eccelinum Patavinis suppetias exercitum du-
xit: idem finitimas civitates pacavit.

Aedes rotunda vetus via Nomentana ab Alexandro rite
expiata, et Constantiae virgini dicata est.

Turbatum in Urbe. Brancaleo senator iussu populi in
custodiam coniectus, et in e. l. Emmanuel Magius
brixianus creatus est. Hoc deinde eiecto, Brancaleo
iterum rem publicam administravit. Alexander Viter-
bium secessit. MCCLVIII.

Condiciones Manfredo regnum Siciliae petenti ab Ale-
xandro dictae, ut exsulibus postliminium esset, Sara-
ceni hostes haberentur.

Agmina virorum mulierumque in scelerum poenam semet MCCLX.
plagis caedentium Perusia primum moveri coepta.
Quae utili pietatis exemplo aliquandiu per Italiam
spectata, in Urbe etiam multos ad concordiam et vir-
tutem incitarunt.

Alexander anno VII. pontif. sui Viterbii mort. est.
Ibidem in e. l. f. e. Urbanus IIII., qui aedem Ha-
driani ad forum, aedem quatuor Martyrum in Coelio
restituendas curavit. Eiusdem impensa atrium in La-
terano exstructum, aedicula Silvestri sublaqueata est.

Urbanus Karolum Andegavensem in regnum Siciliae
vocavit: Manfredo diem dixit, quo ad caussam dicen- MCCLXII.
dam adesset. Viterbio digressus Urbiventum incolere
coepit.

Urbani decreto festus per Ecclesias dies institutus, quo sacrosanctum Corpus D. N. Iesu sollemni pompa vicatim circumfertur. MCCLXIIII.

Actum in Urbe de senatore e Regum numero deligendo. Karolus Andegavensis ex Urbani auctoritate creatus, eiusdemque iussu conscriptus exercitus adversus Manfredum in fines romanos invadentem.

Urbanus quum Urbivento Perusiam venisset, anno IIII. pontific. sui mort. est. In e. l. f. e. Clemens IIII., qui Viterbium concessit. MCCLXV.

Karolus Andegavensis Urbem ingressus, praemissis a Clemente cardinalibus quinque a quibus insignia regni Siciliae ipsi et Beatrici uxsori deferrentur, rex sollemni ritu appellatus est. Exinde regnum sibi armis vindicavit. MCCLXVI.

Conradinus regis Conradi F., quod regnum Siciliae affectaret regisque nomen sumpsisset, Clementis sententia a sacris remotus est. MCCLXVII.

Henricus hispanus regis Alfonsi frater quum in Urbem venisset, senator per factionem dictus est. Idem Conradinum Clemente invito in Urbem summo honore accepit, copiisque auxiliaribus instruxit.

Clemens gravibus litteris regem Karolum Conradino Henricoq. devictis ferocientem ad clementiam hortatus, senatorem Urbis iterum dixit.

Clemens Viterbii anno IIII. pontific. sui mort. est. In e. l. post triennium absens creatus est Gregorius X., MCCLXVIII.
qui e Syria Brundusium navigavit, et Beneventum inde profectus a rege Karolo in Urbem deductus est. MCCLXXI.

Gregorius Urbiventum secessit, et concilium magnum Lugdunum in annum tertium indixit. MCCLXXII.

Gregorio auctore proceres Germaniae Ridolfum Habspurgensem in spem imperii regem dixerunt. MCCLXXIII.

Gregorius itinere Gallias suscepto Florentiam adiit civium coniungendorum caussa. Inde Mediolanenses invisit, et Lugdunum ad concilium perrexit.

Actum in concilio de concordia graecorum, et de expeditione in Palaestinam, eiusque rei ergo pecuniae sacrae corrogandae ius regibus datum: legationes Tartarorum auditae: ratio Pontif. Max. designandi patribus cardinalibus severa lege praescripta. MCCLXXIIII.

Gregorius in Italiam redux quum Arretium pervenisset, anno V. pontif. sui mort. est. Ibidem in e. l. f. e. Innocentius V., qui consecrationis caussa in Urbem venit. Eo conciliatore civiles Genuensium dissensiones sublatae. MCCLXXVI.

Innocentius mense VI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Hadrianus V., cui XVIIII. pontificatus dies vitae ultimus fuit. Huic suffectus Ioannes XVIIII., qui XXI. appellatus est. Legati ab eo Constantinopolim missi, qui Michaelem Aug. ad decreta concilii lugdunensis tuenda hortarentur. Idem quae de creatione Pont. Max. a Gregorio X. sancita fuerant, abolevit.

Ioannes mense VIIII. pontific. sui Viterbii mort. est. Ibidem in e. l. suffectus Nicolaus III., qui Romae consecratus est. MCCLXXVII.

Contentio inter Nicolaum et Ridolfum de provinciarum italicarum finibus fuit: Aemilia Pontifici Maximo adtributa est. MCCLXXVIII.

Rex Karolus Nicolai instantia vicariam Etruriae administrationem et senatoriam Urbis curam deposuit. Nicolaus senatorem se dixit.

Latinus card. a Nicolao legatus Aemiliam Etruriamq. factionibus Guelforum et Ghibellinorum coniunctis pacavit. MCCLXXVIIII.

Domus pontificalis in Vaticano a Nicolao prolata, hortique maceria clusi: templum opere musivo exornatum. Idem in Laterano sacrarium Sancta Sanctorum condidit, domum pontificalem absolvit, templum refecit, sacrosancta capita Petri et Paulli Apostt. sollemni pompa sub altaris maximi fastigio reposuit.

Tiberis exundatio in Urbe fuit. Nicolaus Soriani in agro viterb. repentino mort. est pontific. sui anno III.. In e. l. Viterbii studio regis Karoli f. e. Martinus II., qui IIII. dictus est. Idem senator creatus regem Karolum sibi subrogavit. MCCLXXX. MCCLXXXI.

Viterbiensibus, qui cardinales tres ne suffragia ferrent per vim secluserant, item Michaeli Aug., qui Graecorum dissidia fovere arguebatur, Martini sententia sacris interdictum est. Idem Urbiventum profectus Forolivienses, quod ghibellinarum partium essent, a sacris remotos bello persequi instititit.

Nuncii tristes regi Karolo Urbiventum adlati, Gallos omnes Panormi per seditionem caesos, Messanam quoque descivisse. MCCLXXXII.

Rex Petrus Aragonius in Siciliam advolavit, Karolum regis Karoli filium cepit, insulaq. omni in suam potestatem redacta Iacobum filium regem Siciliae dixit.

Martinus Perusiam profectus anno V. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Honorius IIII., qui regi Iacobo in Sicilia dominanti sacris interdixit. MCCLXXXV.

Sodalibus Karmelitis Honorii auctoritate datum, ut ordo in Ecclesia legitimus haberentur.

Domus pontificalis in Aventino ad Sabinae exstructa, aedesque Honorii hortatu frequentes a privatis eo in colle aedificatae.

Honorius anno III. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Nicolaus IIII., qui Reate secessit et regi Iacobo diem dixit. Idem Karolum regis Karoli f., qui in Hispania Tarraconensi captivus detinebatur, emittendum curavit. MCCLXXXVIII.

Karolus libertatem adeptus Reate ad Pontificem Maximum se contulit, et regni siculi auctus insignibus Neapolim petiit. MCCLXXXVIIII.

Induciae ad Caietam inter regem Iacobum et regem Karolum Nicolao per legatos auctore in biennium pactae.

Nicolaus in Orientis subsidium exercitus per Italiam conscribi iussit, pecuniae vim maximam suppetias misit. MCCLXXXX.

Seditio in Urbe orta est. Summa rerum Nicolao non invito delata Iacobo Columnae, isq. Caesar appellatus.

Templum Liberianum a Nicolao restitutum: Lateranensis pronaon et posticum crustis vermiculatis opertum est.

Nicolaus anno V. pontificat. sui mort. est. Exinde interregnum in annum tertium: cardinales post longa dissidia Perusiam convenere. Caedes in Urbe et direptiones fuerunt: senatores creati Petrus Caietanus et Otho Eustachiensis. MCCLXXXXII.

Petrus Moronus, qui ad Sulmonem monachum agebat, communi patrum cardinalium consensu Pont. Max. f. e., et Aquilae consecratus Caelestino V. sibi nomen MCCLXXXXIIII.

imposuit. Idem VI. post mense delati muneri dignitatem reveritus, Neapoli pontificatu se abdicavit. In eius locum f. e. Bonifacius VIII., qui Romae rege Karolo et filio eius praesentibus consecratus est. MCCLXXXXV·

Bonifacii decreto abolita beneficia, quae quis a Nicolao IIII. aut a Caelestino V. impetrasset: Caelestinus in arcem Fumoniam secedere iussus. Federicus regis Iacobi frater Bonifacium Velitras convenit.

Siculi, quod Federicum ipsi regem dixissent, Bonifacii MCCLXXXXVI· sententia a sacris remoti actaq. eorum rescissa.

Rex Iacobus Aragonius Romam venit, cui Bonifacius MCCLXXXXVII· Sardiniam et Corsicam lege vectigali adtribuit. Columnis, quod regi Federico studerent impensius, sacris interdictum et bellum inlatum est.

Bonifacius Urbiventum profectus regi Galliarum Ludovico VIIII. caelestes honores decrevit.

Legati e Germania ad Bonifacium venere, qui regis MCCLXXXXVIII· Adolfi querelas contra Albertum ducem Austriae exponerent.

Praeneste, quo in oppido Columnae praesidium habebant, Bonifacii iussu excisum est. MCCLXXXXVIIII·

Bonifacius annum sacrum primus indixit, qui anno quoque centesimo instauraretur. MCCC· Plurimi ex orbe christiano mortales omnium generum, aetatum, ordinum Romam confluxerunt, eoque anno Urbs copias omnibus suffecit.

SAECULUM XIIII.

Karolus Valesius e Galliis in spem imperî vocatus, MCCCI· quum Anagniam ad Bonifacium venisset, civitatis pacandae caussa Florentiam missus est.

Concilium in Urbem vocatum adversus regem Galliarum MCCCII· Philippum Pulcrum. Karolus relicta Etruria, classe contra regem Federicum instructa in Siciliam navigavit.

Alberto austriaco, quem proceres Germaniae regem suf- MCCCIII· fragiis suis crearant, condiciones a Bonifacio dictae, quibus in spem imperî regnaret.

Rex Galliarum Philippus, quod in bona Ecclesiarum invasisset, Pontifici Maximo contumelias imponeret, episcopos in custodia quosdam haberet, alios Romam

venire non pateretur, Bonifacii sententia a sacris remotus, stipendiariique eius sacramento exsoluti.

Templum Vaticanum Bonifacii impensa exornatum est: Lateranense porticu addita excultum.

Rege Philippo auctore nefaria Anagniae coniuratio facta est. Bonifacius in aedibus suis captus, triduum in factionis potestate fuit. Conspiratione Anagninorum in libertatem vindicatus, Romam venit et in Vaticano latuit.

Bonifacius anno VIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Benedictus XI.. Huius sententia remoti a sacris, qui Bonifacio vim intulerant. Bonifacii acta in regem Philippum rescissa.

Benedictus ob seditiones urbanas Perusiam migravit. MCCCIIII.
Nicolaum Pratensem card. Florentiam misit, qui civiles discordias componeret.

Benedictus mense VIIII. pontif. sui Perusiae mort. est. In e. l. XI. post mense absens creatus studio regis Philippi archiepiscopus Burdigalensium, qui Cle- MCCCV.
mens V. appellatus est.

Clemens patribus cardinalib. ad se in Gallias vocatis Lugduni consecratus est. Exinde collegium cardina- MCCCVI.
lium supplevit, et legatos discordiarum tollendarum caussa in Italiam misit. Idem, quae Bonifacius VIII. in regem Philippum constituerat, uno decreto omnia abolevit.

Templum in Laterano et domus pontificalis aedesque MCCCVII.
omnes continenter fortuito incendio arsere.

Clemente auctore proceres Germaniae Henricum comitem Lucemburgensium in spem imperî regem dixerunt. MCCCVIII.
Robertus regis Karoli II. f. insigna regalia Avenione tulit, et rex Siciliae a Clemente appellatus est.

Concilium magnum Viennae Allobrogum actum, ut bel- MCCCXI.
lum in Saracenos decerneretur: equites hierosolymarî damnati: leges doctrinae veteris retinendae disciplinaeque revocandae caussa constitutae.

Templum aedesque in Laterano, quae ignis absumpserat, Clementis iussu restitui caepta.

Rex Robertus, rege Henrico adventante, Romam cum exercitu accessit, et Vaticano praesidium imposuit. MCCCXII.

Rex Henricus cardinn. tribus a Clemente legatis in-
signia imperî in Laterano accepit.

Henrico Aug. demortuo, Clemens regem Robertum vica-
rio imperio praeesse Italiae iussit: eundem Romani MCCCXIIII·
senatorem crearunt.

Clemens anno VIIII. pontificat. sui mort. est. Exinde
interregnum in annum tertium. Cardinales Lugduni
denique intra conclave coacti, Ioannem XXII. Pont.
Maximum dixerunt, qui sedem honoris sui Avenione
collocavit. MCCCXVI·

Legati a Ioanne in Siciliam missi, qui regem Federi-
cum et regem Robertum de regno dimicantes compo- MCCCXVII·
nerent. Induciae in triennium pactae.

Guelforum et Ghibellinorum per Italiam bella exarsere.
Bertrandus card. a Ioanne legatus complura oppida
armis recepit. MCCCXX·

Gravis de iure imperioque dissensio inter Ioannem et
regem Germaniae Ludovicum commota, bellumque in MCCCXXIII·
Italia gestum.

Legatio a Romanis Avenionem missa, ut Ioannem in MCCCXXVII·
Urbem invitarent.

Rex Ludovicus Ioannis sententia a sacris remotus Ur-
bem exercitu occupavit. Idem senator a Romanis in MCCCXXVIII·
annum dictus, insignia imperî a pontificibus Vene-
torum et Aleriensium accepit, Ioannem pontificatu
excidisse pronunciavit, eique Petrum Corvaria oppo-
suit, qui Nicolaus V. audivit.

Italia pleraque Ludovicum et Nicolaum deseruit. Nico- MCCCXXVIIII·
laus Pisis captus est, eumque Ioannes Avenionem
ductum in custodia habuit.

Tumultus in Urbe et caedes fuit: factiones Ursinorum
et Columnarum exortae. MCCCXXXIII·

Ioannes anno XVIIII. pontif. sui Avenione mort. est. MCCCXXXIIII·
In e. l. f. e. Benedictus XII., ad quem Romani le-
gatos miserunt oratum ut in Urbem migraret.

Rex Ludovicus Benedictum sibi conciliare frustra cona-
tus est. Proceres Germaniae conventu indicto impe- MCCCXXXVIII·
ratoris dicendi sibi ius adrogarunt.

Bononia et Firmum a Benedicto citra vim recepta: res
Insubriae per legatos compositae. MCCCXXXX·

Templum Vaticanum Benedicti iussu et impensa subla-

queatum: valetudinaria depositorum pecunia a Petro Columna card. testamento legata condita sunt.

Franciscus Petrarca in Capitolium pompa deductus, MCCCXXXXI· omnibus sententiis iudicum coronatus est inter poetas latinos.

Benedictus anno VIII. pontif. sui Avenione mort. est. In e. l. f. e. Clemens VI., ad quem Romani Nico- MCCCXXXXII· laum Laurentii f. legationis principem miserunt rogatum ut Avenionem Urbi posthaberet.

Condiciones a Clemente regi Ludovico dictae, quibus ei imperium delaturus esset. Idem e collegio cardinn. Neapolim legavit, qui Andreae reginae Ioannae viro regalia insignia traderet. MCCCXXXXV·

Regi Karolo IIII. regis Ioannis bohemici f. regnum Germaniae Clemente auctore in spem imperî delatum. MCCCXXXXVI·

Nicolaus Laurentii f., quum seditione facta tribunus augustus appellatus esset, senatores Capitolio exegit, sedatisque plebis discordiis factionem arma inferentem MCCCXXXXVII· proelio fudit. Seditione rursum coorta, quod vita eius ferro appeteretur, Urbe profugit.

Avenionenses, qui reginae Ioannae parebant, per coemptionem in Clementis potestatem venerunt. MCCCXXXXVIII·

Nicolaus Laurentii f. a rege Karolo deditus, Clementis iussu Avenione in custodiam coniectus est.

Annus sacer Romae decreto Clementis celebratus multis mortalibus ex toto orbe christiano adfluentibus. MCCCL·

Clemens anno XI. pontif. sui Avenione mort. est. In e. l. f. e. Innocentius VI.. Ex huius auctoritate Nea- MCCCLII· polim de collegio cardinalium profectus, qui regalia insignia regi Aloisio et reginae Ioannae sollemni ritu imponeret.

Seditio in Urbe odiis factionum ardentibus concitata. Bertoldo Ursino senatore interfecto, Baroncellus scriba MCCCLIII· eius tribunus factus est. Hoc sublato Nicolaus Laurenti f. auctore Alborno card., quem Innocentius in Italiam legarat, in urbem receptus iterum rem publicam administravit. Idem repentino tumultu in fuga occisus est.

Rex Karolus IIII. Romam cum exercitu ingressus, in templo Vaticano a Petro Beltrandio card. legato In- MCCCLV· nocentii insignia imperî sollemnib. caeremoniis accepit.

Innocentius anno X. pontif. sui Avenione mort. est. In
e. l. absens creatus Urbanus V., ad quem legati a MCCCLXII·
Romanis missi sunt rogatum ut in Urbem suam
demigraret.

Karolus Aug. Avenionem profectus consilia de Italia
pacanda cum Urbano iniit. MCCCLXV·

Urbanus Romam cogitans magna Italiae laetitia Ge-
nuam appulit, et legationibus civitatum auditis in MCCCLXVII·
Urbem venit.

Domus pontificalis Urbani iussu in Vaticano refecta, et
in proximo viridaria consita atque horti instructi.

Karolus Aug. lustrata Italia Romam ingressus est:
Urbanus insignia imperî Isabellae uxsori eius sollemni MCCCLXVIII·
ritu imposuit.

Ioannes Palaeologus Aug. fessis imperî sui rebus auxi-
lium quaerens Urbanum invisit veneratusque est:
bellum a Turcis quantum impenderet, exposuit. MCCCLXVIIII·

Urbanus bello inter Britannos et Gallos exorto, regum
conciliandorum caussa Avenionem profectus, anno MCCCLXX·
VIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Gre-
gorius XI.

Controversiae de regno Siciliae diremptae, foedusque
inter regem Federicum Aragonium et reginam Ioan- MCCCLXXII·
nam Gregorio pacis sequestre constitutum est.

Civitates stipendiariae Pontificis Maximi coniurationibus
factis pleraeque a Gregorio defecerunt. Ipse capto iam MCCCLXXV·
Romam demigrandi consilio iter maturavit.

Gregorius, quum Massilia solvisset Genuam venit. Inde
in fines romanos navigavit, et Tiberi invectus effusa MCCCLXXVII·
obviam civitate in Vaticanum ascendit.

Bononia a Gregorio recepta: res urbanae compositae:
moenia restitui caepta: turris ad templum Liberia-
num exstructa.

Gregorius anno VIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Urbanus VI.. Huius severitatem perosi cardd. galli MCCCLXXVIII·
hispanique Anagniam profecti desciverunt: inde Fun-
dos quum convenissent, conspiratione facta Rober-
tum Claudum Pontificem Maximum dixere, qui Cle-
mens VII. appellatus est.

Clemens Urbani armis Italia exactus Avenionem se
contulit. Arx quam in Urbe tenebat in Urbani pote- MCCCLXXVIIII·
statem redacta est.

Regina Ioanna, quod Clementis partes sequeretur et dissidium in Ecclesia foveret, Urbani sententia a sacris remota, stipendiariique eius sacramento exsoluti sunt: regnum Karolo Pacensi delatum. MCCCLXXX·

Urbanus Neapolim profectus Butillum fratris f. Capuae praeficiendum curavit. Simultates inter eum et regem Karolum exortae. Idem quum Nuceriam ad fratris filium divertisset, ab regis Karoli exercitu obsessus est. MCCCLXXXIII·

Cardinales sex de coniuratione delati, Urbani iussu in custodias coniecti et in quaestionem dati sunt. Iidem quum Nuceria Genuam ab Urbano transvecti essent, uno regi Britannorum condonato ceteri necati. MCCCLXXXV·

Urbanus Lucensibus visis Perusiam venit, et de regno neapolitano sibi vindicando consilia iniit. Romam intermortuo populi studio reversus, anno XII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Bonifacius VIIII.. MCCCLXXXVI· MCCCLXXXVIIII·

Andreas Acciaiolius card. Neapolim a Bonifacio legatus est, qui regi Ladislao insignia regalia sollemni ritu imponeret. Annus sacer magna mortalium frequentia in Urbe actus.. Ii desiderati, qui Clementi adhaeserant. MCCCLXXXX·

Bonifacius Perusiam civium inter se conciliandorum caussa profectus est: oppida complura quae defecerant recepit: Romam legationibus invitatus rediit, et coortos tumultus sedavit. MCCCLXXXXII·

Arx urbana a Bonifacio communita: aedes senatori in Capitolio conditae: templum Vaticanum novo cultu exornatum.

Nuncii Avenione adlati, Clementem vita excessisse, eique Petrum Lunensem esse suffectum et Benedicto XIII. nomen huic impositum. MCCCLXXXXIIII·

Bonifacius Benedicto sacris interdixit, et dissidii tollendi caussa epistolas ad orbem christianum misit.

Capitolium a Bonifacio in usum belli vallatum: triremes et copiae pedestres regi Ladislao suppetias missae. MCCCLXXXXV·

Coniuratio in Urbe fuit auctore Honorato Caietano, qui Fundis imperitabat. Perduelles capti poenas dederunt: Caietano sacris interdictum est, missusque exercitus qui eum bello persequeretur. MCCCLXXXXVII·

Concilium Romae actum, ut legationibus de concordia auditis responsa regibus darentur.

Annus sacer in Urbe iterum celebratus: Galli etiam Benedicto contempto adfuerunt. Cives Romae hospi- MCCCC·
tesque pestilentia complures periere.

SAECULUM xV.

Bonifacî indulgentia postliminium Columnis Caietanisq. datum est, et oppida quae bello amiserant reddita. MCCCCI·
Foedus cum Florentinis ictum adversus Mediolanenses.

Cossa card. a Bonifacio Bononiam legatus, ducto in Mediolanenses exercitu civitates quae defecerant re- MCCCCIII·
cepit. Exinde pax Francisco Gonzaga conciliatore constituta.

Legati Avenione a Benedicto venere, qui concordiae studium praeferentes Bonifacium nomine eius ad col- MCCCCIIII·
loquium invitarent.

Bonifacius anno XV. pontif. sui mort. est. Cardinales ad suffragia quum convenissent, unusquisque fidem iureiurando obligavit, si pontificatum adeptus esset, ultro dissidii tollendi caussa, si res posceret, se pontificatu abiturum.

Innocentius VII. Pont. Max. f. e.. Eius se defensorem professus rex Ladislaus arci urbanae praesidium imposuit.

Tumultus et caedes in Urbe fuit: Innocentius Viterbium secessit: Columnae Savellique et numeri nea- MCCCCV·
politani Urbe exacti sunt.

Legati Roma ad Innocentium missi oratum, ut in Urbem MCCCCVI·
rediret. Arx urbana a rege Ladislao Innocentio reduci dedita est.

Innocentius anno III. pontif. sui mort. est. Cardinales iureiurando recepto se Ecclesiae caussa pontificatum deposituros, Gregorium XII. creaverunt, qui litteras primum ad Benedictum, postea legatos de dissidio tollendo misit.

Seditio in Urbe concitata: exsules muro perrupto recepti: Gregorius se arce sepsit. Tumultu compresso Viterbium profectus est. Inde Senas et Lucam se contulit, MCCCCVIII·
ut cum Benedicto in colloquium veniret. Galli rege auctore Benedictum violatae fidei reum deseruerunt.

Rex Ladislaus Urbem cum exercitu ingressus rem pu-

blicam regia potestate administravit, finitimas civitates in ditionem suam redegit.

Cardinales qui Gregorium sequuti fuerant, quod ipsis invitis collegium eorum supplevisset, Pisas secesserunt: ille Ariminum migravit.

Concilium Pisis actum adversum Gregorium et Bene- MCCCCVIIII·
dictum. Uterque absens honore spoliatus est, et Alexander V. Pont. Max. factus. Inde dissidium auctum, et orbis christianus in tres factiones divisus. At Urbs a Cossa legato Alexandri recepta.

Alexander, quod Pisanos pestilentia conflictaret, Pratum
concessit. Inde Bononiam profectus, mense honoris MCCCCX·
sui VIIII. mortuus est. Gregorius Caietam se recepit.

Cardinales conventu Bononiam indicto Cossae legato pontificatum detulerunt, qui Ioannes XXIII. dictus
est. Hunc rex Ludovicus Andegavensis in Urbem MCCCCXI·
deduxit.

Concilium in Urbem a Ioanne vocatum dissidii tollendi caussa. Gregorius a rege Ladislao destitutus, Caieta
relicta Ariminum navigavit. MCCCCXII·

Urbs regis Ladislai astu iterum capta: Ioannes arrepta
fuga Viterbium advolavit. Subinde Florentiam pro- MCCCCXIII·
gressus, legatos ad regem Sigismundum in Germaniam concilii vocandi caussa misit: et Bononiensibus visis, Laudem Pompeiam accedens regem Sigismundum ipse convenit.

Rege Ladislao demortuo legatus Ioannis Urbem tenuit.
Ioannes concilio magno concordiae caussa indicto MCCCCXIIII·
Constantiam perrexit.

Actum in concilio de pontificatu Gregorio et Benedicto
et Ioanni abrogando. Ioannes quum spopondisset, se MCCCCXV·
sponte pontificatu abiturum si ceteri se abdicarent, mutata voluntate in Helvetios aufugit: reductus sententiae episcoporum adquievit.

Gregorius Karolo Malatesta Constantiam legato sponte MCCCCXVII·
pontificatu se abdicavit. Benedictus quod repugnaret honore deiectus est, et a sacris remotus.

Cardinales numero XXXIII. et cum his proceres XXX. de omnibus nationibus a concilio delecti in suffragia quum convenissent, pontificatum maximum Martino V. detulerunt: de cuius creatione christianus orbis universus laetatus est.

Eodem anno Braccius dux Perusinorum Urbe occupata dominatum affectans, copiis reginae Ioannae depulsus finibus romanis excessit.

Martinus peracto concilio in Italiam venit, et peragrata
Insubria consedit Mantuae ut civitatum legationes MCCCCXVIII.
audiret. Inde Florentiam migravit.

Legati a Martino Neapolim missi cardinales duo, qui
regalia insignia reginae Ioannae imponerent. Ipse MCCCCXVIIII.
Braccium pacem veniamque petentem admisit, et vicaria potestate Perusiae finitimisque civitatibus praeesse iussit. Idem pontificem Florentinor. archiepiscopum dixit.

Martinus Braccio belli duce Bononiam recepit: legatos
Venetias pontificis Aquileiensium tuendi caussa misit: MCCCCXX.
Florentia digressus Romam summa omnium laetitia pervenit.

Res publica Romae Martini consiliis ordinata. Cardd.
bini Neapolim legati, qui reges de regno inter se
dimicantes componerent. MCCCCXXII.

Concilium magnum a Martino Ticinum indictum, pesti-
lentia ingruente Senas vocatum est: eoq. paucis ob MCCCCXXIII.
temporum difficultates convenientibus, Basileam post annum VII. cogi placuit.

Nuncii ab Hispania adlati, Benedictum anno aetatis
LXXXX. occubuisse, eique factione duorum suffectum MCCCCXXIIII.
Aegidium Mugnonem Clementem VIII. vocitari.

Martinus Urbis miseratus vices, prolapsorum aedificiorum restitutionem aggressus est: porticum templi Vaticani refecit: templum Lateranense opere vermiculato stravit et picturis excoluit. Eodem auctore cardinales certatim aedes ditionis suae restituerunt. Reliquiae Monicae matris Augustini ab Ostia in huius aedem sollemni pompa translatae sunt.

Nicolaus Albergatus card. tota bellis ardente Insubria
Venetias a Martino legatus est, ut consiliis eius ar- MCCCCXXVI.
morum furor sopiretur. Oppida Latii Vitellesco duce subacta: metus hostium ab Urbe aversus.

Bononienses conspiratione facta a Martino defecerunt:
iidem bello domiti aequis conditionibus in eiusdem MCCCCXXVIII.
potestatem redierunt. Firmum, et Tifernum tiber., alia insuper oppida recepta.

Rex Alfonsus Aragonius Aegidium Mugnonem insignia
pontificatus maximi deponere coegit. MCCCCXXVIIII·

Martinus anno XIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Eugenius IIII.. Huius iussu in Martini administros
quaesitum est: multi peculatus damnati, Columnae- MCCCCXXXI·
que quod seditionem concitassent armis coerciti.

Concilium magnum Basileae agi coeptum, Eugenii de-
creto Bononiam evocatum est nec perductum. MCCCCXXXII·

Rex Sigismundus Insubria pacata Romam venit, et ab
Eugenio insignia imperî in templo Vaticano sollem-
nibus caeremoniis accepit. Inde Basileam profectus
Pontificis Maximi auctoritatem adseruit. MCCCCXXXIII·

Multae per Picenum civitates defecere: Urbs seditione
turbata, et a Fortebraccio capta: Eugenius medio in MCCCCXXXIIII·
discrimine arrepta fuga Florentiam abiit.

Nicolao Atestino conciliatore pax per Aemiliam consti-
tuta: legati Eugenii Urbem et civitates quae defe- MCCCCXXXV·
cerant plerasque receperunt.

Legati ab Romanis ad Eugenium missi oratum ut in
Urbem reverteretur: re infecta rediere. Eugenius MCCCCXXXVI·
Bononiam migravit.

Eugenius concilium Basileae perstans, quod Pontificem MCCCCXXXVII·
Maximum in ordinem redigere auderet, dimissum pro-
nunciavit. Episcopos idem latinos graecosq. Ferra-
riam ut convenirent litteris admonuit.

Concilium magnum Ferrariae agi coeptum: Ioannes MCCCCXXXVIII·
Palaeologus Aug. et pontifices graeci magno numero
adfuere. Bello subinde ac lue grassante, Florentiam
omnes migraverunt, ibique concordia Graecorum cum
Latinis firmata.

Episcopi qui Basileam pertinaces insederant, quod Eu-
genio reiecto pontificatum maximum Amadeo duci MCCCCXXXX·
Allobrogum detulissent, damnati omnes et a sacris
remoti sunt. Eugenius Romam reversus concilium
Florentia in Lateranum vocavit.

Aedes Sebastiani extra pomoerium, aedes Susannae in
Quirinali ab Eugenio restitutae, et ad aedem rotun-
dam area explicata: templa Lateranense et Liberia-
num exculta: valvae aeneae in Vaticano factae, do-
musq. pontificalis refecta: item Paulli templum via
Ostiensi.

Civitates Piceni Francisco Sfortia eiecto pleraeque in
potestatem Eugenii rediere. Idem Perusiam profectus
pacis conditiones Sfortiae dixit: quod hic bellum re-
novasset, a sacris remotus et armis coercitus est. MCCCCXXXXVI·

Francisca matrona romana ex Eugenii auctoritate aedes
virginibus Deo sacris ad turrim Specchianam aperuit.
Eodem tempore multae per Urbem domus ad archi-
tecturae leges exstrui coeptae.

Eugenius anno XVI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MCCCCXXXXVII·
Nicolaus V. qui regem Galliarum ad dissidium chri-
stianorum tollendum hortatus est. Ipse Insubriae
pacandae curam suscepit.

Amadeus rege Galliarum auctore pontificatus maximi MCCCCXXXXVIIII
insignia abiecit, et in collegium cardinalium a Ni-
colao cooptatus est.

Annus sacer magna mortalium frequentia Romae cele- MCCCCL·
bratus. Caelestes honores Bernardino senensi a Nicolao
decreti.

Domus pontificalis ad templum Liberianum ab inchoato
exstructa, et Vaticanae fines prolati: bibliotheca ibidem
mirifice aucta: aedes Theodori sub Palatino dedicata,
Stephani in Coelio refecta: Pantheon plumbeis lami-
nis iterum tectum: viae magnam partem lapidibus
stratae: muri Urbis adiectae refecti: ductus aquae
Virginis restitutus: pons Milvius instauratus.

Rex Federicus III. e Germania in Italiam venit, et MCCCCLII·
Urbem ingressus, postquam rex Insubriae a Nicolao
appellatus est, insignia imperî ab eodem ipse et Leo-
nora uxsor accepit.

Nuncii tristes ab Oriente perlati, Constantinopolim a
Turcis captam, christianos ad XXXX. m. caesos. MCCCCLIII·

Legati a Nicolao ad reges et civitates per Europam
missi, ut pace inter eos constituta bellum adversus
Turcas susciperetur. Classis ab eodem instructa et
copiae paratae.

Nicolaus anno VIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Callistus III.. Huius litteris christiani reges ad bel- MCCCCLV·
lum Turcis inferendum excitati.

Callisti classis in Aegeum navigavit, insulasq. tres MCCCCLVI·
Turcis eiectis in libertatem adseruit, naves eorum
ad Mitylenen fugavit.

Aedes Priscae in Aventino a Callisto refecta, Urbis moenia reparata.

Callistus anno IIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MCCCCLVIII.
Pius II., qui conventum Mantuam indixit, ut legatis regum et civitatum praesentibus de bello turcico ageretur.

Pius Senas patriam suam revisit, pontificemq. Senensium archiepiscopum dixit: inde Mantuam ad conventum perrexit. Actum de classe instruenda, et co- MCCCCLVIIII.
piarum auxiliarium census institutus.

Belli neapolitani caussa expeditio turcica retardata est. MCCCCLXI.
Pius in Urbem reversus exercitum suppetias regi Ferdinando misit.

Area ante templum Vaticanum aequata, gradationes e marmore restitutae, statuae Petro et Paullo Apostt. dedicatae.

Aluminis fodinae ad Centumcellas detectae. Ars nova MCCCCLXII.
libraria codicibus benignissimo invento multiplicandis e Germania in Urbem invecta est.

Pius Anconam profectus expeditionis maturandae caussa, quum eo iam classis Venetorum appulisset et copiae undique convenirent, morbo correptus anno VI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Paullus II., quo auctore MCCCCLXIIII.
bellum turcicum susceptum est.

Quaestus simoniaci decretis Paulli praecisi. Oppida complura in finibus romanis quae tyranni occuparant, MCCCCLXV.
a Paulli legatis inlato bello recepta. Domus pontificalis ad aedem Marci condita et signis veteribus exculta, quae deinde ludorum celebritate dedicata est.

Condiciones pacis italicis civitatibus a Paullo dictae ad bellum in Turcas continuandum. Federicus Aug. in MCCCCLXVIII.
Urbem summa honoris significatione acceptus, et ad bellum turcicum incitatus.

Roberto Malatestae, quod Ariminum occupasset, signa inlata: is se copiis foederatarum civitatum defendit. MCCCCLXVIIII.
Eodem anno sodales litterati insignesque dicendi scribendique magistri in Urbem inducti.

Euboea a Turcis capta: foedus inter Italos belli caussa MCCCCLXXI.
factum. Borso Atestino, quum in Urbem venisset, datum a Paullo ut dux Ferrariae appellaretur.

Paullus anno VII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.

Xystus IIII., a quo classis adversus Turcas instructa,
belliq. caussa decumae per orbem christianum clericis
imperatae. MCCCCLXXII.

Tudertes et Spoletini terrore belli pacati: Tifernum
tiberinum receptum: Federicus cui Urbinates parebant, MCCCCLXXIIII.
dux appellatus est. Multae in Urbe aedes refectae.

Anni sacri in Urbe celebritas fuit. Rex Ferdinandus MCCCCLXXV.
Neapoli Romam venit, et equum album phaleratum
pridie festum Petri et Paulli Apostt. ex vectigali
lege Xysto in pompa deduxit.

Tiberis exundatio et lues subinde Urbem vexavit. Pons
ianiculensis a Xysto restitutus, a quo et nomen ha- MCCCCLXXVI.
bet: viae munitae et lateribus stratae: cloacarum
ductus purgati et refecti.

Florentini, quod archiepiscopum Pisanorum in coniura- MCCCCLXXVIII.
tione civium necassent, a sacris remoti et denuncia-
tione armorum territi. Valetudinaria trans Tiberim
a solo restituta: proli incertorum patrum tollendae
domus aperta: templum Vaticanum excultum: aedes
Mariae ad portam Flaminiam, et coenobium in pro-
ximo conditum: Urbs tota squalore deterso renovata.

Turcarum classis in Italiam appulit: Hydruntum vi MCCCCLXXX.
captum est. Hostis avertendi caussa litterae a Xysto
ad reges missae. Pax per Italiam constituta: Floren-
tini poena absoluti.

Hydruntum armis receptum, et classes Turcarum dis-
iectae. Urbem pestilentia tentavit. MCCCCLXXXI.

Bibliotheca Vaticana codicibus ex omni Europa Asiaque
advectis ordinata, et custodibus impositis constituta.

Factiones in Urbe Columnarum et Ursinorum exstitere: MCCCCLXXXIIII.
inde bellum civile et caedes fuerunt.

Xystus anno XIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Innocentius VIII.. Eo auctore foedus renovatum in- MCCCCLXXXV.
ter reges christianos adversus Turcas, et urbanae se-
ditiones sublatae.

Rex Ferdinandus bellum Urbi inferens, regis catholici
auctoritate exercitum revocavit. Coniuratio Auxima-
tium repressa. MCCCCLXXXVII.

Innocentius, quod pacis conditiones a rege Ferdinando
violatas comperisset, legatum Neapolim misit, qui de
officio admoneret.

Zizimus Baiazeti tyranni Turcarum frater in Urbem
captivus ductus est. Rex Ferdinandus, quod vectigal MCCCCLXXXVIIII·
annuum non penderet, a sacris remotus et regni iure
spoliatus est. Simultates rege catholico conciliatore
depositae. MCCCCLXXXXII·

Aedes Mariae ad viam Latam a solo exstructa: domus
pontificalis in Vaticano duplicata, et villa hortis
adiecta.

Innocentius anno VIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f.
e. Alexander VI., qui regem Galliarum Karolum VIII. MCCCCLXXXXIII·
in regnum neapolitanum invitavit.

Regiones trans oceanum atlanticum a Columbo detectae, Alexandri sententia regi Ferdinando catholico et liberis eius posterisque adiudicatae. Eidem finibus linea caelesti designatis adtributa tellus, quantacumque in posterum vestigando teneretur.

Alfonsus II. regis Ferdinandi I. Aragonii filius a
Ioanne Borgia card. insignia regalia Alexandri iussu
Neapoli accepit. MCCCCLXXXXIIII·

Rex Karolus e Galliis in Italiam quum venisset, condi-
cionibus ab Alexandro dictis Urbem ingressus est: MCCCCLXXXXV·
Alexander in arcem concessit. Audito Neapolim a
rege captam, metuens sibi Perusiam petiit. Rege mox
in Insubriam progresso, copias Ferdinando II. Alfonsi II. filio submisit ad regnum reciperandum.

Rege Ferdinando II. morte praerepto, Caesar Borgia card., domo fratris sui caede funesta, Capuam iubente Alexandro profectus insignia regalia regi Federico regis Ferdinandi patruo sollemni ritu imposuit.

Caesar Borgia card. purpurae se honore abdicavit. In MCCCCLXXXXVIII·
Galliam legatus regis Navarrae filiam uxorem duxit.
Subinde in Italiam cum exercitu reversus, oppidis
compluribus per Aemiliam subactis Romam venit.

Arx urbana ab Alexandro communita: templi Liberiani laquearia inaurata: aedes Iacobi maioris ad forum Agonale incolarum Hispanorum impensa a solo refecta.

Annus sacer in Urbe actus. Decumae ab Alexandro
belli turcici caussa clericis imperatae. MD·

Multa Galliae Cispadanae oppida tyrannis eiectis re-
cepta: Latium terrore belli pacatum. Lucretia Cae- MDI.
saris Borgiae soror Alfonso Atestino nupta est.

Alexander anno XII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Pius III., qui dum concilium magnum convocare pa- MDIII.
rat, die XXVI. pontificat. sui morbo interceptus est.
In e. l. f. e. Iulius II..

Veneti a Iulio per legatos admoniti, ut ab Aemilia
abstinerent. Oppida quibus Caesar Borgia praesidium MDIIII.
imposuerat, in potestatem Pontificis Maximi redierunt.
Permissum Venetis ut Ariminum et Faventiam reti-
nerent.

Iulius Urbiventum profectus, Ioanne Paullo Baglione
cui Perusini parebant in fidem recepto, Perusiam in MDVI.
ditionem suam redegit. Exinde Forum Cornelii per-
rexit, missoq. viatore, qui Ioannem Bentivoglium
Bononiensibus dominantem principatu abire iuberet,
Bononiam triumphali pompa ingressus est.

Iulio in Urbem reverso, novi templi fundamenta in Va-
ticano iacta: domus pontificalis porticibus et ambu- MDVII.
lacris latius prolata.

Iulius Italiae prospiciens Georgium Ambrosium card.
ad conventum Cameracensem legavit. Venetis inter- MDVIII.
minatus ne oppida Aemiliae sibi vindicarent, arma
inferri iussit.

Civitates Aemiliae, quas Veneti occuparant, senatu
auctore se Iulio dediderunt. Pax inter Iulium et MDVIIII.
Venetos constituta.

Iulius Venetis propitius Alfonsum ducem Ferrariensium,
quod Gallorum partibus faveret, hostem appellavit. MDX.
Ipse Bononiam belli urgendi caussa reversus, Miran-
dulam ad deditionem impulit, et Ravennam divertit.

Bononia a Gallis capta, Iulius Ariminum se recepit. MDXI.
Inde in Urbem quum rediisset, concilium magnum in
Lateranum indixit. Regi catholico ad bellum contra
Mauros decumas clericis imperandi ius dedit, foedusq.
cum eo et Venetis adversus Gallos percussit. Episco-
pos Pisis coactos, quod rebus novis studerent, a sacris
removit.

Pugnatum ad Ravennam summa contentione: victoria Gallis multo sanguine stetit: Ravenna capta est. MDXII.

Concilium magnum in Urbe celebratum ad Lateranum, actaque conventus Pisani rescissa. Eodem anno Bononia et civitates Aemiliae omnes receptae.

Via Iulia ad lineam iuxta Tiberim directa: aedes Mariae Loretanae ad Traiani columnam condita: arx urbana ampliata: operum publicorum quaedam absoluta, alia inchoata: artes revocatae et praemia cultoribus constituta.

Iulius anno X. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MDXIII.
Leo X., qui Parmam et Placentiam a duce Mediolanensium recepit.

Concilium in Laterano Leone praeside continuatum.
Legati a rege Lusitaniae ad Leonem cum muneribus MDXIIII.
missi. Mutinenses per coemptionem in Leonis potestatem venerunt.

Filiberta ducis Allobrogum Philippi filia Iuliano Leonis
fratri praefecto Urbis nupta Romam deducta est. MDXV.
Foedus a Leone cum Germanis, Hispanis, Helvetiis, Florentinis, Mediolanensibus ictum adversus Gallos Venetosque. Idem paullo post Bononiam profectus concordiam cum rege Gallorum Francisco I. firmavit, et Florentiam se contulit.

Leo Romam reversus duci Urbinatium Francisco Mariae
Rovereo diem dixit: quumque principatu ille excidis- MDXVI.
set, Laurentium fratris sui filium in eius locum suffecit.

Templi Vaticani magnam in altitudinem educta moles magnifico opere: domus pontificalis in proximo omni ornamentorum genere exculta: aedes Mariae Coelimontanae a solo refecta: Urbs tota monumentis vel novis vel restitutis Leone auctore adornata.

Praedones Africani mare infestum habuere, et exscensione facta Leoni in Latio rusticanti insidias moliti sunt.

Concilium magnum in Laterano absolutum. Christianis MDXVII.
qui stipem ad templi Vaticani molitionem contulissent, Leonis indulgentia datum, ut de admissis suis veniam apud Deum impetrarent. Coniuratum in mortem Leonis: perduelles poenas dedere.

Legati a Leone ad reges missi, ut ad bellum adversus Selimum tyrannum Turcarum hortarentur. Induciae MDXVIII. inter christianos in quinquennium pactae, supplicationesque in Urbe placandi Numinis caussa decretae.

Tristes e Germania nuncii venerunt, Lutherum veteri Ecclesiae doctrina contempta rebus novis studere. Missus ob eam rem Caietanus card., qui ducem partium ad bonam frugem revocaret.

Leo, quod Laurentius fratris sui filius decessisset, Ur- MDXVIIII. binates rursum in potestatem suam redegit.

Lutheri scripta a Leone damnata: ipse et fautores eius MDXX. a sacris remoti. Eodem anno Perusia et Firmum tyrannis sublatis in Leonis ditionem rediere.

Rex Britanniae Henricus VIII., quod perversam Lu- MDXXI. theri doctrinam strenue scriptis refutasset, defensor fidei a Leone appellatus est. Foedere inter regem Karolum V. et Leonem facto, bellum in Italia exarsit.

Leo anno VIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MDXXII. Hadrianus VI.. Quo tempore Rovereus Urbinum, Bagliones Perusiam receperunt.

Foedus ab Hadriano cum Venetis et rege Karolo ini- MDXXIII. tum. Soderinus card., quod Siciliam commovere arguebatur, in arcem urbanam coniectus est.

Hadrianus anno II. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Clemens VII., qui se pacis auctorem professus re- MDXXIIII. gem Galliarum sibi et Florentinis conciliavit. Foedus belli caussa inire noluit.

Rege Karolo Italiae dominante, Galli Venetiq. Clemen- MDXXVI. tem in foedus adduxerunt. Exercitus hispanus Neapoli movit. Clemens, Urbe primum ab Hugone Moncadio et Columnis vexata, in arcem confugit. Templum Vaticanum et domus pontificalis direpta. Induciis pactis hostes recessere.

Bellum a Clemente foederis caussa renovatum, et clas- MDXXVII. sis instructa, quae Neapolim cum sociorum navibus appulit. Idem, Borbonis exercitu ab Insubria adventante, inducias cum rege Karolo in menses octo fecit, milites magnam partem domum dimisit.

Borbonis exercitus pridie nonas maias Urbem oppugnare aggressus ducem in muros scandentem amisit: ob

eam rem infensior inruptionem fecit. Occupata Urbs direptaq.: vis, ferrum, libido ubique dominata. Clemens in arce captus et in custodia habitus est, qui, de pacis conditionibus quum ageretur, arrepta fuga Urbiventum incolumis pervenit.

Pestilentia direptionem et caedem consequuta est: qui Urbem violaverant omnes intra biennium periere. MDXXVIII. Clemens terrore belli sedato in Urbem rediit, et profugos undique revocavit.

Sodales Theatini auctore Caietano Thiene in Urbe constituti, Clementis decreto initium habuere. Foedus a Clemente compositum cum rege Karolo. Uterque MDXXX. Bononiam convenerunt, ut de Italia pacanda consilia inirent: foedus ibidem rite renovatum, et insignia imperî a Clemente regi Karolo sollemnibus caeremoniis imposita.

Clemente in Urbem reverso exundatio Tiberis fuit, quanta nunquam antea fuerat: lues exinde cives afflictavit.

Clemens de motu haereticorum admonitus, ducem Allobrogum contra Genevenses armis et pecunia iuvit. MDXXXI. Idem Anconam recepit: populum romanum ad Urbis restitutionem excitavit.

Karolus Aug. in Italiam rediit: Clemens Bononiam profectus Augustum summo honore accepit. MDXXXII. Actum inter eos de concilio magno Ecclesiae caussa indicendo. Legati a rege Lusitaniae ad Clementem venerunt cum litteris regis Aethiopum sibi et suis a Pontifice Maximo pacem veniamque poscentis.

Clemens Urbe revisa Massiliam navigavit, ut cum rege MDXXXIII. Galliarum in colloquium veniret. Ibi Catharinam Laurentii patruelis filiam Henrico regis filio duci Aurelianensium in matrimonium dedit.

Rex Britanniae Henricus VIII. ob repudium legitimae uxsoris et superductam pellicem Clementis sententia MDXXXIIII. a sacris remotus est.

Clemens anno XI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Paullus III., qui Perusiam a Ridolfo Baglione occupatam armis recepit.

Karolus Aug. Neapoli Romam venit, ut de pace cum MDXXXVI. rege Galliarum firmanda consilium caperet. Paullus

cardinales duos in Germaniam et Gallias ad res componendas legavit. Idem concilium magnum indixit Mantuam, lectisque interea viris in Urbem vocatis disciplinae veteri restituendae primus incubuit.

Foedus Paullo auctore initum adversus Turcas. Ipse et Karolus Aug. et rex Ferdinandus Aug. frater et MDXXXVIII·
Veneti conspiravere: dux classis Andreas Doria designatus est. Paullus Nicaeam Massiliensium petiit, ut Karolo Aug. et rege Galliarum Francisco inter se conciliatis pax firmaretur.

Octavius Farnesius praefectus Urbis Margarita austriaca uxsore ducta dux Camertium factus est. Alexander MDXXXVIIII·
Farnesius card. legationem ad Karolum Aug. suscepit.

Perusini ob defectionem coerciti, et arce intra pomoerium condita praesidium contra seditiosos impositum est. Paullus quum Tibure rusticaretur, Ignatium Loiolaeum ad pedes admisit, et Societatem Iesu ab eo constitutam auctoritate sua confirmavit.

Bellum intra fines romanos a Petro Aloisio Farnesio Paulli iussu gestum adversus Ascanium Columnam, MDXXXXI·
et oppida ab eo complura subacta. Paullus Lucam profectus Karolum Aug. convenit: actum de foedere in Turcas et de pace tuenda. Eodem anno Franciscus Xaverius rei christianae caussa a Paullo in Indiam legatus Ulyssipone solvit.

Concilium magnum a Paullo Tridentum vocatum est. Idem Bononiam et Buxetum progressus Karolum MDXXXXII·
Aug. iterum convenit. Reversus in Urbem copias auxiliares adversum Turcas in Pannoniam misit, et legationem pacis constituendae caussa ad Karolum Aug. et ad regem Galliarum destinavit.

Bellis sublatis concilium Tridenti agi coeptum. Petrus Farnesius lege vectigali dux Placentinis et Parmen- MDXXXXV·
sibus datus: Camerinum et Nepet. recepta.

Urbs ab Aventino munita, et circa Urbem adiectam solidati muri et propugnacula addita: viae apertae, stratae, directae: aquae multis locis stagnantes in profluentem derivatae: templi Vaticani aedificatio strenue properata: Capitolium priscis monumentis excultum.

Foedus adversum Lutheranos a Paullo et Karolo Aug. MDXXXXVI·

initum: comparatoq. exercitu Farnesii fratres, Octavius dux belli, Alexander card. legatus, in Germaniam missi.

Concilium magnum Paulli iussu Tridento ob ingruentem
pestilentiae metum Bononiam translatum Augusto MDXXXXVII.
non probante. Edictum ab hoc de sacrorum controversiis in certam diem propositum, de quo Paullus graviter questus est.

Paullus anno XVI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MDXXXXVIIII.
Iulius III., qui Concilium magnum Tridentum revocavit.

Annus sacer in Urbe celebratus, portaque aurea VI. kal.
martias rite aperta est. MDL.

Balduinus Iulii frater praefectus Camertibus datus. Simultates inter Iulium et Farnesios exortae. Foedus a Iulio cum Karolo Aug. factum.

Concilium Tridenti ob terrores bellicos dissolutum, et MDLII.
in commodiora tempora reiectum. Urbs ob Etruriae motus praesidiis firmata. Legati ad Aug. et ad regem Galliarum missi, qui ambos ad concordiam reducerent.

Praetorium Iulianum via Flaminia a solo exstructum: domus in Urbe plures a claris architectis aedificatae.

Iulius anno VII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MDLV.
Marcellus II., quem altero post mense mors bonis omnibus moerentibus intercepit. In e. l. f. e. Paullus IIII.. Ab creatione seditio in Urbe fuit: Columnae insimulati, appellatique: quod in iudicium non venissent, Paulli sententia a sacris remoti sunt.

Foedus a Paullo cum Gallis initum, et bellum Hispanis
in fines neapolitanos inlatum. Hostes contra in fines MDLVI.
romanos ingressi oppida complura diripuerunt, et Ostia capta annonae inopiam Urbi fecere.

Rege Henrico II. auctore, Paulli controversiae cum MDLVII.
rege Philippo catholico aequis conditionibus compositae, et exsules reducti: item cardinales bini ad regem utrumque legati, ut eorum concordia stabiliretur.

Legati Ferdinandi Aug. a Paullo reiecti, quod non ex MDLVIII.
eius auctoritate imperator dictus esset. Idem reginae Elisabethae, cui Britanni regnum detulerant, adver-

satus respondit, de iure regni iudicium penes se esse.

Aedes Silvestri in Quirinali sodalibus Theatinis a Paullo adtributa. Idem veteris doctrinae retinendae caussa carcerem perduellibus Ecclesiae vindicandis aedificavit, certosque iudices e collegio cardinalium constituit. Admonitus fratris filios potestate abuti, gradu motos Urbe exegit. MDLVIIII.

Paullus anno V. pontif. sui mort. est. Ab eius morte seditio in Urbe coorta, et monumenta per ludibrium eversa sunt. Civitate pacata in e. l. f. e. Pius IIII., qui Paulli sanctiones quasdam abolevit, alias mitigavit. MDLX.

Pius Karolum Borromeum sororis filium cardinalem dixit. Carrafas fratres Karolum et Ioannem in custodiam coniectos caussam dicere coegit, qui ex actis damnati sunt.

Kosmus dux Florentinorum ad Pium venit, et equitibus ordinis Stephaniani, quem ipse constituerat, ius legitimum impetravit.

Concilium magnum rursus Tridentum vocatum, et e collegio cardinalium quinqueviri legati qui praeessent. MDLXI.

Pius Urbem renovare aggressus, portas Angelicam et Piam fecit: aquam Virginem fonte Salonio immisso duplicavit: arcem urbanam propugnaculis munivit: molitionem templi Vaticani sedulo promovit: domum pontificalem in proximo, et praetorium iulianum excoluit: domum pontificalem alteram ad Marci inaedificato ambulacro productam Capitolio iunxit, et in Capitolio aedes senatorias restituit.

Suppetiae a Pio in Gallias ivere regi Karolo VIIII. adversus tumultum Calvinianorum. Aedes in Urbe complures a cardinalibus Pio auctore restitutae: ipse thermas Diocletiani in templum vertit, et coenobium adiecit. MDLXII.

Laeti Tridento nuncii adlati, concilium magnum absolutis disputationibus legibusque latis omnium concordia dimissum. Eius auctoritatis sanciendae caussa episcopi Romae diversantes ad Ecclesias quisque suas redire iussi. Domus iuventuti in Ecclesiae spem instituendae aperta. MDLXIII.

Coniuratum in vitam Pii irrito incepto: rei perduel- MDLXV.

lionis capti necatique. Pecunia a Pio ad bellum turcicum Maximiliano Aug. missa.

Pius anno VI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MDLXVI.
Pius V., qui Carrafarum iudicium caussamque retractavit, et Pallentierum quaesitorem calumniae reum capite damnavit, memoriaeque eorum honorem habuit.

Auctores rerum novarum et doctrinae veteris desertores
vinculis coerciti. Iudaeis qui christianam professio- MDLXVII.
nem amplecti vellent domus hospitalis aperta. Pecuniae vis regi Galliarum missa ad bellum contra Calvinianos: item copiae auxiliares, quarum virtute victoria parta signaque relata sunt.

Kosmus Dux Florentinorum Magnus Dux a Pio appel- MDLXXI.
latus, insigniaque regalia sollemni ritu accepit. Reginae Elisabethae ob perfidiam sacris interdictum, et Britanni, ut imperium eius detrectarent, sacramento exsoluti.

Foedus adversus Turcas Pio auctore factum. Classes instructae Naupactum navigarunt: pugnatum ad Echinadas: ingens victoria a christianis relata. Eo-
dem anno M. Antonius Columna triumphum de Tur- MDXXI.
cis egit.

Legati a Pio foederis renovandi caussa Commendonus card. cum Francisco Toleto ad Augustum et ad regem Poloniae, Bonellius card. cum Francisco Borgia ad reges Hispaniae et Lusitaniae. Coenobia virginibus bina et aedes Dominici et Catharinae in Quirinali condita. Sacerdotes e Societate Iesu in templo Vaticano admissis poenitentium expiandis praefecti.

Pius anno VII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Gregorius XIII., cuius iussu classis iterum contra MDLXXII.
Turcas navigavit.

Aedes inventuti germanicae ad sacra instituendae, quas
Ignatius pater inchoaverat, Gregorii impensa abso- MDLXXIII.
lutae: fundi ab eodem in collegii alimenta adtributi.

Annus sacer magna mortalium frequentia celebratus.
Peregrini omne genus hospitio accepti et Gregorii MDLXXV.
liberalitate sustentati.

Pons Senatorius a Gregorio operibus ampliatis restitu-

tus: alter in finibus Etruriae fluvio Peliae impositus. Leges sodalium Philippianorum probatae.

Aedes Athanasii condita et domus addita alumnis Grae- MDLXXVII.
corum educandis: aliaque britannicae iuventuti exstructa, aede Thomae Cantuariensi dicata et xenodochio advenis aperto.

Porticus milliaria domus pontificalis in Vaticano exculta, atriaque et conclavia picturis exornata: aedes senatoriae in Capitolio turri adiecta refectae: porticus et scholae in lyceo Sapientiae aedificatae.

Horrea publica ad thermas Diocletiani condita. Templi MDLXXX.
Liberiani porticus restituta: cella Corporis Christi cum altari in Lateranensi excitata, aedesque proxima sacri fontis ornatu vario distincto: item cella Gregorii Nazianzeni in templo Vaticano perfecta dedicataque est.

Fratres Karmelitae excalceati decreto Gregorii ordo Ecclesiae legitimus esse coeperunt. Pecuniae vis et copiae auxiliares in Hiberniam catholicis tuendis missae. Aedes Marthae in Urbe, et nosocomium familiae domus pontificalis a solo facta.

Legatus a Magno Duce Moschorum in Urbem venit, ut MDLXXXI.
Gregorio conciliatore pax inter eum et regem Polonorum firmaretur. Possevinus cum legato missus, paxque constituta est.

Equitum melitensium discordiae a Gregorio sedatae: rei Romam venire iussi. Via Loretana per Apenninum munita: domus pontificalis in Quirinali inchoata: viae per Exquilias apertae: porta Coelimontana refecta: alia opera publica restituta.

Gregorius sententiis mathematicorum auditis kalendarî MDLXXXII.
emendationem suscepit: anno ad cursum solis accomodato, intercalandi leges posteris dedit.

Collegium Romanum Gregorii munificentia constitutum, et lyceo magnifice exstructo scholae iuventuti instituendae apertae.

Codex decretorum, quem Gratianus instituerat, Gre- MDLXXXIII.
gorii iussu emendatus, et delecti ab eodem e doctorum numero, qui librorum divinorum editionem adornarent.

Aedes sub Quirinali conditae Maronitarum, qui Libanum

incolunt, iuventuti in Ecclesiae Syrorum utilitatem excolendae. Domus hospitalis ad Suburram parata libertis neophytis, quos Ecclesia parens iudaica servitute liberasset.

Templum D. N. Iesu Alexandri Farnesii card. impensa factum, sollemni ritu dedicatum est.

Legati ad Gregorium regii iuvenes ab Iaponia ultima MDLXXXV.
venere, ut eius gentis nomine parentem et magistrum christianorum venerarentur.

Gregorius anno XIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Xystus V., cuius severitate licentia multorum in Urbe cohibita, perque provincias itinera grassatoribus deletis explicata sunt.

Xystus opera publica a templo Vaticano exorsus, hemisphaerium immensae molis attolli iussit: cellam Cor- MDLXXXVI.
poris Christi in templo Liberiano, quam cardinalis inchoaverat, perficiendam curavit: obeliscum ante templum Vaticanum statuit: aquam Felicem in Quirinalem deduxit: valetudinaria plebi condidit: luxum civitatis legibus coercuit.

Annona Urbis Xysti providentia constituta. Idem rei- MDLXXXVII.
publicae administrandae caussa e primoribus civitatis consilia XIV. sibi esse voluit. Eodem anno columna Traiani restituta est aenea statua inaurata Petri Apostoli imposita: obeliscus ad templum Liberianum erectus. Loretum munitum et templi restituendi cura suscepta.

Tabulariorum singulis in civitatibus confectio imperata.
Scutatorum nummorum quinquagies subsidio ingruen- MDLXXXVIII.
tis belli in arcem urbanam inlata. Obeliscus maximus ad Lateranum constitutus. Bibliothecae Vaticanae chalcidicum a solo factum: officina libris edendis addita.

Rex Galliarum Henricus III. a Xysto admonitus, ut MDLXXXVIIII.
Borbonium card. et archiepiscopum Lugdunensium e custodia emitteret: idem iussus in iudicium adesse, quod Guiseum card. sustulisset.

Obeliscus ante portam Flaminiam statutus: columna M. Aurelii Aug. restituta, eique statua aerea inaurata Paulli Apost. imposita est: viae Urbis auctae: domus pontificalis in Quirinali ampliata, in Laterano

a solo refecta, ornata: aqua Centumcellas inducta: pons Felix ad Ocriculum in Tiberi factus: fossa per agrum pomptinum paludibus siccandis ducta.

Xystus anno VI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Urbanus VII., quem XIII. post die mors intercepit. MDLXXXX.
In e. l. f. e. Gregorius XIIII.. Huius liberalitate, quum fames per Italiam esset, civitates finium romanorum annonae inopia liberatae sunt.

Lues gravis Urbem afflictavit: cives unius anni spatio MDLXXXXI.
ad LX. m. desiderati.

Cohortes a Gregorio suppetias Gallis catholicis missae adversus regem Henricum IIII., hisque Hercules Sfondratus praefectus est.

Gregorius mense XI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Innocentius VIIII., qui III. post mense decessit. Huic suffectus est Clemens VIII., a quo Gallis catholicis pecunia et copiae auxiliares submissae. MDLXXXXII.

Supplicationes perpetuae circa Urbis templa ad horas XXXX. per vices institutae. Funus censorium Alexandro Farnesio imperatori invicto celebratum.

Nuncii e Galliis adlati, regem Henricum de catholica MDLXXXXIII.
professione deliberasse. Clemens supersedendum ratus legatos regis non admisit.

Aedes Caesarii restituta: templi Lateranensis cella transversa pulcherrimo ornatu exculta: domus pontificalis in Vaticano magnifice ad speciem instructa: ephebeum iuventuti Scotorum ad sacra instituendae conditum: multae per eadem tempora aedes a cardinalibus restitutae.

Clemens edoctus de regis Henrici voluntate legatos MDLXXXXV.
eius admisit, eoque rite absoluto festa laetitia Urbem exhilaravit.

Lex a Clemente lata adversus debitores, iudicesque constituti, qui aes alienum distractis eorum fundis dissolverent. Copiae auxiliares ad Rodulfum Aug. contra Turcas missae.

Clemens Alexandrum Mediceum card. in Gallias legavit,
si bello finem afferre regemque Hispaniae cum rege MDLXXXXVI.
Galliarum componere posset. Idem legationem a rege Henrico honoris caussa missam audivit: copias auxiliares ad Rodulfum Aug. iterum destinavit.

Ferraria Alfonso II. Atestino demortuo recepta: Clemens eo profectus rem publicam ordinavit. Eodem MDLXXXXVIII·
reduce ingens Tiberis exundatio fuit. Cincii ob parricidium poenas dedere.

Sepulcrum Caeciliae virg. mart. a Sfondrato card. detectum, et sacrum corpusculum a Pont. Max. in arcam argenteam ritu sollemni reconditum. Robertus Bellarminus in collegium patrum cardd. cooptatus est.

Annus sacer magna frequentia celebratus. Episcopi et sacerdotes ab ipso Clemente ad dies X. lauto hospitio MDC·
accepti: ceteri advenae omnes ad triduum alti.

Fossa Curiana ad Velinum laxata et pons inaedificatus. Pecunia ad bellum adversus Turcas in Pannoniam missa.

SAECULUM XVII.

Rex Galliarum a Clemente per Aldobrandinum card. Duci Allobrogum conciliatus. Legati ab rege Persa- MDCI·
rum missi ad Clementem, ut foedus contra Turcas cum christianis iniret.

Seditio in Urbe exarsit adversus satellites praefecti, studio populi erga Farnesios: Urbs a Clemente praesidiis firmata. MDCIII·

Quaestiones de auxiliis caelestibus coram Clemente agitari coeptae, contentione inter Dominicianos et Iesui- MDCV·
tas exorta.

Clemens anno XIIII. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Leo XI., quem mors XXVI. post die intercepit. Huic suffectus est Paullus V..

Venetis, quod a Paullo admoniti nova senatus consulta non delevissent, nec clericos e custodia emitti pate- MDCVI·
rentur, sacris interdictum est.

Delectus militum factus est, et praesidia in finibus romanis disposita, si quid Veneti movissent. MDCVII·

Rege Galliarum auctore pax cum Venetis constituta, senatusque poena liberatus: captivis redditis, senatus consulta mansere.

Rex Henricus legatum ad Paullum misit, qui studium eius erga Pontificem Maximum profiteretur. Eodem MDCVIII·
anno orator ex Africa a rege Congi in Urbem pervenit religionis ergo missus, qui Romae mortuus est.

Paullus Ioannem Mellinum card. in Germaniam legavit, ut regem Mathiam et Rodulfum Aug. aversos componeret.

Praescriptum a Paullo, ut primariis in domibus sodalium religiosorum magistri linguarum essent latinae, graecae, hebraicae, arabicae. MDCX.

Caelestes honores Karolo Borromeo card. sollemnibus caeremoniis decreti. Cella sanctae Virginis in templo Liberiano condita et cultu magnifico exornata: ante templum columna ingens, et statua ex aere inaurata eiusdem honori constituta est.

Ratio forensis et iudicum in Urbe auctoritas a Paullo MDCXII. circumscripta: consuetudines contra instituta maiorum sublatae: sumptus extra modum praecisi. Idem templi Vaticani exaedificationem aggressus opus annorum amplius centum perfecit.

Alexander Ludovisius archiepiscopus Bononiensium legatus a Paullo Mediolanum et Augustam Taurinorum MDCXVI. pacis constituendae caussa. Aqua Paulla a milliario XXXV. in Ianiculum perducta: domus pontificalis in Quirinali porticibus, scalis, aede, conclavibus aucta: horrea publica ampliata: novae in Urbe viae apertae: et auctore Paullo aedes a cardinalibus refectae, ornatae, totaq. Urbs aedificiis privatorum nobilitata.

Decumae clericis imperatae, quo ad bellum contra per- MDCXX. duelles haereticos subsidium Ferdinando Aug. afferretur.

Paullus anno XVI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. MDCXXI. Gregorius XV., qui Rhetiae pacandae curam suscepit.

Gregorius consilium e collegio cardinalium constituit, MDCXXII. quorum iudicio viri spectatae virtutis ob christianum nomen propagandum in barbarorum regiones legarentur: fundos idem ad expeditiones et sumptus adsignavit.

Caelestes honores decreti Ignatio patri, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, Isidoro Agricolae, Theresiae virgini.

Bibliotheca palatina Romam a Leone Allatio Gregorii MDCXXIII. iussu advecta. Leges ab eodem de Pont. Max. creatione latae.

Gregorius anno III. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.

Urbanus VIII., qui concordiae auctor Rhetorum defensionem apud reges suscepit.

Domus pontificalis in Vaticano ornatu vario exculta: templum statuis et aereo sepulcri apostolici fastigio instructum.

Annus sacer rite celebratus. Uladislaus regis Sigismundi filius a Polonia in Urbem venit. Bellorum motus et pestilentia Italiam pleramque depopulata advenarum frequentiam minuit. MDCXXV.

Urbanus superstitioni coercendae caelestes honores quibus tribuendi essent decreto sanxit. Idem pacis revocandae studio Franciscum Barberinum fratris f. card. ad reges Galliarum et Hispaniarum legavit.

Franciscus Maria Rovereus herede filio amisso Urbinum et oppida omnia ditionis suae Pontifici Maximo sponte reddidit. Missus ab Urbano legatus, qui possessionem usurparet. MDCXXVI.

Aedis Ignatii patris a Ludovisio card. fundamenta iacta. Templum Vaticanum ab Urbano sollemni ritu dedicatum est.

Urbanus ne idonei viri deessent, qui ad nomen christianum propagandum in barbarorum regiones mitterentur, domum alumnis ex Asia atque Africa aperuit, magistros disciplinis tradendis constituit. MDCXXVII.

Insubria bello turbata, legatus eo Antonius Barberinus card., ut pacis condiciones diceret. Aedes Caii mart. in Quirinali a solo refecta: aedes aliae per Urbem restitutae aut ornatae. MDCXXX.

Pecuniae vis ab Urbano in Germaniam missa ad bellum contra haereticos Sodales Lyncei auctore Angelo Cesio ad disciplinas artesq. restituendas conspiravere. Eodem anno Urbani vita devotionibus et maleficiis coniuratorum in discrimen adducta: venefici capti necatique sunt. MDCXXXIII.

Portus Traiani ad Centumcellas restitutus: Castrum Urbanianum in claustris imperii conditum: arx in Urbe communita.

Episcopi cardinales ex praescripto Concilii Tridentini ad Ecclesias quisque suas redire iussi. Sepulcrum magnae Matildae in templo Vaticano exstructum. MDCXXXIIII.

Urbanus concordiae fovendae caussa legatos in Insu- MDCXXXVI.

briam misit. Ginettum card. Coloniam in congressum legavit, ut pax inter reges firmaretur.

Moenia Urbis plurifariam refecta: viae per provincias restitutae: oppida propugnaculis et munitionibus firmata.

Exercitus Castrum missus, et praesidium, quod Odoardus Farnesius contra leges imposuerat, depulsum est. MDCXXXXI.
Odoardus inruptionem in fines romanos fecit, foedusque cum Venetis et Mutinensibus et Florentinis iunxit: Urbani copiae ad Nonantulam fusae.

Pax Venetiis ex auctoritate regis Galliarum Ludovici XIII. confecta. Castrum in Farnesii ditionem MDCXXXXIIII. rediit.

Urbanus anno XXI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e. Innocentius X.. Hoc Pontifice Antonius Barberinus card. in Gallias aufugit: quaestiones de eius admi- MDCXXXXV. nistratione institutae: fratres etiam solum verterunt.

Bello turcico exorto et Creta a Barbaris occupata, classis ab Innocentio instructa et Venetis suppetias missa est.

Pax Monasterii in Germania constituta conditionibus MDCXXXXVIII. catholico nomini iniquis, quas Fabius Chisius legatus Innocentii reiecit.

Templum Vaticanum ab Innocentio sectilibus stratum: alae utrinque columnis clypeisq. marmoreis ornatae: carcer vico Iulio aedificatus.

Milites a Ranuccio Farnesio in fines romanos immissi, MDCXXXXVIIII. in agro bononiensi caesi fugatique sunt: Castrum captum deletumq. Bona Farnesii ad aes alienum dissolvendum per conventionem recepta.

Annus sacer magna mortalium frequentia celebratus, multique ex orbe christiano viri principes advenere. MDCL. Hospitia peregrinis omnium ordinum patuerunt.

Aedes Hagnae mart. ad forum Agonale operibus a solo ampliatis restituta: fons mirabilis obelisco imposito factus medio in foro: et prope aedem ephebeum alumnis Panfilianis instituendis.

Postliminium Barberinis ab Innocentio datum est. Et eodem anno edictum, quae domus per Italiam viros MDCLII. religiosos caperent alerentve perpaucos, eae ut in posterum nusquam essent: incolae earum ad ampliores sui quisque Ordinis sedes transmigrarent.

Cornelii Iansenii liber ad examen revocatus: articuli
ex eo quinque ab Innocentio damnati. MDCLIII.

Innocentius anno XI. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Alexander VII., qui reginam Svecorum Christinam MDCLV.
Alexandram magno honore accepit.

Classis ab Alexandro adversus Turcas Venetis suppetias
missa est. Marius Chisius Alexandri frater Senis in MDCLVI.
Urbem cum liberis venit. Romani fines pestilentia
tentati, eiusque periculi propulsandi caussa suppli-
catio in Urbe indicta, et aedes Mariae ad Porticum
voto suscepto inchoata est.

Societas Iesu Alexandro auctore in fines Venetorum MDCLVII.
post annum L. reducta est. Bona domorum religio-
sarum, quae Innocentii X. decreto sublatae fuerant,
Venetis ad belli turcici impensas remissa sunt.

Area ante templum Vaticanum excelsa porticu cingi
coepta. MDCLXI.

Tumultus in Urbe a militibus Corsis exortus, quod com-
militones a gallo homine violati essent: orator regis MDCLXII.
Galliarum licentia militari appetitus est: ob eam rem
legatus Alexandri e Galliis exactus: orator Regis
Roma discessit: Avenio occupatus a Gallis: copiae
militares ad terrorem in Italiam missae.

Actum Pisis per legatos de concordia inter Alexandrum
et regem Galliarum. Chisius card. Lutetiam Pari- MDCLXIII.
siorum destinatus, qui calumniam purgaret. Corsi
exauctorati, et poenae caussa saxso incisa.

Caelestes honores Francisco Salesio pontifici Geneven-
sium decreti. Ephebeum Urbanianum ampliatum, aedes- MDCLXV.
que addita et tribus Sapientibus Orientis dicata est.

Alexander anno XIII. pont. sui mort. est. In e. l. f. e.
Clemens VIIII., qui regem Galliarum a belli con- MDCLXVII.
siliis revocare conatus est. Venetos adversus Turcas
classe et pecunia iuvit.

Monumentum quod ad Corsorum ignominiam in Urbe
constitutum fuerat, consensu regis Galliarum ever-
sum est. Sublata item inscriptio quae regis Hen- MDCLXVIII.
rici IIII. absolutionem testabatur.

Classis a Clemente Cretam iterum missa duce Alexandro
Pico. Lanificium in Urbe restitutum, commercium MDCLXVIIII.
auctum.

Clemens anno III. pontif. sui mort. est. In e. l. f. e.
Clemens X., qui sumptus publicos praecidit, militum
numerum imminuit, fiscum principis privatum su- MDCLXX.
stulit, nobilitati ne quis a mercatura notam inureret
edicto cavit.

Sepulcrum magnifico opere Clementi VIIII. in templo MDCLXXII.
Liberiano Clementis iussu exstructum, ipsumq. tem-
plum et pronaon in postico exornatum. Regi Poloniae MDCLXXIII.
bellum adversus Turcas gerenti pecunia subventum.

Annus sacer magno christianorum conventu celebratus.
Advenis omnis generis liberalitate Clementis hospitia MDCLXXV.
praebita.

Clemens anno VII. pontif. sui mort. est. In. e. l. f. e.
Innocentius XI., qui consanguineos omnes a se reiecit, MDCLXXVI.
familiam legit, sumptus amputavit, pecuniam regi
Polonorum ad bellum in Turcas submisit, regibus
inter se discordibus pacis auctor fuit.

Multae in Urbe morum reformandorum caussa leges MDCLXXVII.
constitutae. Vetitum, ne oratores regum ius asyli sibi
vindicarent. Reginae Christinae annua pensio ex aera-
rio adsignata.

Controversiae inter Innocentium et regem Galliarum MDCLXXX.
exortae de iure in bona Ecclesiarum per interregnum.

Nuncii graves Lutetia Parisiorum adlati, episcopos in MDCLXXXII.
conventu auctoritati Pontificis Maximi adversatos in
novas sententias abiisse.

Supplicationes indictae placandi Numinis caussa, quod
Turcarum exercitu Vindobona obsessa esset. Rex Po- MDCLXXXIII.
lonorum Innocentio auctore foedus cum Leopoldo Aug.
iniit.

Turcis devictis, eius victoriae ergo dies festus insti-
tutus Nomini Mariae sanctae recolendo.

Veneti cum Leopoldo Aug. et rege Polonorum Ioanne
Sobiesco Innocentii opera in foedus venerunt. Idem MLCLXXXIIII.
Venetos classe auxiliari et pecunia iuvit.

Legatus a rege Britanniae Iacobo II. Romam venit
nunciatum Innocentio, catholicum regem in Britan- MDCLXXXV.
nia regnare.

Turbatum in Urbe ob impotentiam Lavardini oratoris MDCLXXXVII.
Gallici asylum facinorosis late praebentis: aedes Gal-
lorum, quod eo praesente sacrum sollemne in ea

factum esset, iure sacrorum privata et sacerdotibus
eius sacris interdictum. Eodem anno Michael Molinos
damnatus est.

Lavardinus licentia renovata in templum Vaticanum
trecentis stipatus lictoribus venit: qui tum sacrum MDCLXXXVIII.
faciebant, religione iniecta aufugere. Avenio a Gal-
lis rege auctore occupata.

Reginae Christinae censorium funus Innocentii iussu
factum, et sepulcrum in templo Vaticano excitatum. MDCLXXXVIIII.
Bibliothecae eius codices veteres in Vaticanam inlati.
Eodem anno Lavardinus a rege in Gallias revoca-
tus est.

Innocentius anno XIII. pontif. sui mort. est. In e. l.
f. e. Alexander VIII.. Hoc Pontifice rex Galliarum
asylum in vicinia oratoris sui nullum esse passus est:
Avenionem deducto praesidio restituit. MDCLXXXX.

Leopoldo Aug. bellum adversus Turcas instruenti pe-
cunia in subsidium ab Alexandro missa.

Alexander morti proximus novas conventus gallicani
sententias damnavit: regem ut abrogaret admonuit.
Idem anno II. pontific. sui mort. est. In e. l. f. e.
Innocentius XII., qui Venetos Polonosque pecunia ad MDCLXXXXI.
bellum turcicum iuvit.

Constitutio ab Innocentio proposita, cui cardinales sub-
scripsere, eaq. perlata, ne quis postea pontificatum
maximum adeptus fratris filios aut consanguineos MDCLXXXXII.
bonis Ecclesiae ditaret.

Domus pontificalis in Laterano egenis mutilisque reci-
piendis adtributa, et fundi in alimenta adsignati:
domus hospitalis puerorum ad ripam maiorem in-
choata: sepulcrum Innocentio XI. in templo Vaticano
factum. Centumcellae explicatae atque auctae.

Episcopi Galliarum litteras ad Innocentium misere of- MDCLXXXXIII.
ficii plenas, professi a novis conventus sententiis se
recessisse. Rex quoque per epistolam testatus, se im-
perasse ne quam eae vim aut auctoritatem in posterum
haberent.

Constitutum ab Innocentio ne in Urbe honores ulli ve-
nales essent, reditusq. publici honoratorum amputati.
Classis contra Turcas in auxilium Venetis missa.

Luxus in Urbe coercitus: ordines virorum religiosorum MDCLXXXXV.

ad veterem sanctimoniam legibus revocati. Exundatio Tiberis, subinde lues Urbem afflictavit.

Supplicationes in Urbe decretae, ut Deo auspice pax MDCLXXXXVI.
inter christianos firmaretur. Classis adversus Turcas navigare iussa. Portus Antiatum laxatus. Curia Innocentiana litibus iudicandis aedificata.

Gratiae Deo rite actae, quod ab Eugenio Imp. exercitus Turcarum ad Tibiscum caesus esset. Nuncii etiam
adlati, Federicum Augustum saxonicum catholicam MDCLXXXXVII.
professionem amplexum.

Proventus ab Innocentio annuus adsignatus in alimenta sacerdotum, qui ad Aethiopum culturam in Orientem legarentur.

Fenelonii episcopi sententiae XXIII. damnatae, quas MDCLXXXXVIIII.
auctor ipse admonitus improbavit. Controversiae ab regno Sinico perlatae de priscis incolarum ritibus diiudicandis. Maria Casimira regis Poloniae uxsor Romam migravit.

Actum de palude pomptina exsiccanda. Praescriptum ab Innocentio, ne quid rescriptorum caussa administri peterent acciperentve.

Annus sacer magna mortalium frequentia celebratus.
Hospitia advenis aperta. Magnus dux Kosmus III. DCC.
Florentia venit.

Iudicium Innocentii auditum a rege Hispaniarum de herede regni instituendo.

Innocentius anno X. pontif. sui mort. est. In eius locum Clemens XI., postquam patrum cardd. voluntati triduum repugnasset, Pontifex Maximus omnibus bonis plaudentibus renunciatus est.

A. M. D. G.

MONITUM

Sciat lector, ad an. MCXXXVII. additam in nostra editione fuisse vocem *dux* uncinis inclusam, etsi non exstet neque in exemplari patavino neque in romano.

Praesides Ecclesiae ut in lucem hoc opus edi possit permiserunt.


GETTY CENTER LIBRARY
3 3125 00060 8543

ALIA OPERA RECENTER EDITA

De Imitatione Christi. Libri quatuor. Nova editio accuratissime emendata, indiceque locupletata; 1865, in-32 . . . . . . L. 1 »
DE MOLINA (P. Fr. Ant. Carthus.). Instructio Sacerdotum, ex SS. Patribus et Ecclesiae Doctoribus concinnata. Opus sane aureum, quod post septimam in Hispaniis impressionem latinitate donavit R. P. F. Nicolaus Janssenius Boy O. P. 1865, in-8 . . . » 4 »
GRANATA (P. F. Ludovic. O. S. Dom.). Dux peccatorum. Opusculum valde pium, quo peccatores a via vitiorum et perditionis ad regiam virtutum ac salutis aeternae viam perducuntur. Per Michaelem ab Isselt in latinam linguam conversum. 1866, in-8 . » 4 »
Horae Diurnae Breviarii Romani ex decreto SS. Concilii Tridentini restituti, S. Pii V Pont. Max. jussu editi, cum officiis Sanctorum per Summos Pontifices concessis; 1866, in-32 . . . . » 1 50
KLEUTGEN. Ars dicendi priscorum potissimum praeceptis et exemplis illustrata a Josepho Kleutgen Soc. Jesu. 1868, in-8 . . » 3 »
KNOLL (P. Albert. a Bulsano Capp.) Institutiones Theol. Dogm. Generalis et Dogmatico Polemicae concinnatae; 1868, 7 vol. in-8 » 40 »
— Institutiones Theologiae Theoreticae seu Dogmatico-Polemicae ab Auctore in compendium redactae; 1868, 2 vol. in-8 . . . » 11 20
— Institutiones theologiae dogmaticae generalis seu fundamentalis conscriptae; 1868, in-8 . . . . » 5 40
Officium proprium diurnum et nocturnum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, ex decreto Urbis et Orbis, auctoritate SS. D. N. Pii Papae IX. edito die 25 septembris 1863, atque universo clero tam saeculari quam regulari de praecepto impositum, una cum psalmis et hymnis propriis; 1864, in-8; *editio a S. R. Congr. recognita et approbata* . . . . » » 50
Officium Parvum B. M. Virginis S. Pii V. Pont Max. jussu editum; accedit Officium Defunctorum, septem Psalmi Poenitentiales, Litaniae Sanctorum. 1869, in-16 . . . . » 1 »
Orationes in benedictione SS. Sacramenti pro opportunitate temporum cum Litaniis et precibus in oratione quadraginta horarum more romano et pro in agone laborantibus; 1868, in-4 parvo » 2 25
Ritualis Romani brevis collectio ad Parochorum commodum eorumque vicariorum in Sacramentorum administratione, in infirmorum cura et eorum interitu; in-32 . . . . » » 50
STANIHURSTUS (P. Willelm.) S. J. Dei immortalis in corpore mortali patientis historia; moralis doctrinae placitis et commentationibus illustrata; 1863, in-8 . . . . » 3 »
VALLAURIUS. Thomae Vallaurii orationes habitae in auditorio maximo R. Athenaei taurin. ab anno MDCCCXLII ad annum MDCCCLV; editio tertia; in-8 . . . . » 2 50
WEITENAUER (Ignatius) S. J. Lexicon biblicum in quo explicantur vulgatae vocabula et phrases, quaecumque propter linguae hebraicae graecaeque peregrinitatem injicere moram legenti possunt, ad usum eorum omnium qui absque magnorum voluminum ambagibus D. Scripturae textum et contextum intelligere et verbum Dei solide populo proponere desiderant; 1866, in-8 » 3 50
VINCENTII (S.) A PAULA. Praecepta vitae spiritualis in singulos uniuscujusque mensis digesta et distributa; 1862, in-32 . » » 50